

## Merita Westphalorum In Academiam Rostochiensem

Rostochii: Typis Nicolai Schwigerovii, [1707]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002561590>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1707

Aepinus, Franz Albert







6 ~~75~~

# MERITA WESTPHALO- RUM

In  
ACADEMIAM ROSTOCHIENSEM  
DELINEATA,

D. O. M. A.

Prævio Ampliss. Philosophorum Ordinis consensu, .  
IN ILLUSTRIS ACAD. ROSTOCH,  
AUDITORIO MAJORI,

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆCELLENTISSIMI

DN. M. FRANC. ALB. ÆPINI,

Meclenburgensis,

S. S. Theol. Cand. fulgidissimi,

Fautoris ac Præceptoris sui colendissimi,

*Bibliothek der Academie  
Rostock*  
DIE APRIL. ANNO MDCCVII.

publicæ Eruditorum censuræ  
exposita

als

AUTORE

REINHARDO HENR. ROLLIO,

UNNA-WESTPHALO.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIGEROVII, Ampl. Senat. Typogr.

*Bibliothek der Academie  
Rostock*



# VIRIS

*Prænobilissimis, Experientissimis, Consultissimis, Amplissimis,*

**DNO. DAVIDI DAVIDIS, J. V. D. & Advocato**

*celeb. Unnensis Reip. Consuli meritisimo & Civitatum in Comitatu Marcano Syndico gravissimo,*

**DNO. GOTTFRIDO DAVIDIS, Phil. & Med.**

*Doct. expertissimo & apud Unnenses Practico felicissimo,*

**DNO. GOTTFR. THEOD. RADEMACHER,**

*Phil. & Med. Doct. & Practico apud Unnenses itidem famigeratiss.*

**DNO. DANIELI WIEMANNO, J. V. L. Practico**

*celeb. & apud Lünenses Consuli spectatissimo,*

**DNO. JOH. WILHELMO KRUPP, J. V. L. &**

*apud Unnenses Advocato dexterrimo,*

*Nec non*

*VIRIS Amplissimis, Nobilissimis, prudentissimis varioque rerum usu exercitatissimis,*

**DNO. JODOCO URBANI, Consuli olim Unnensi**

*dignissimo ac meritisimo,*

**DNO. BALTH. ARNOLDO HUSEMANNO,**

*Camerario Unnensi spectatiss. inqve illa Satrapia Receptori fidelissimo,*

**DNO. CHRISTOPH. BODDEKERO, Senatori**

*Unnensi prudentissimo & Ecclesiæ Unn. per 20. ferè annos Antistiti dexterrimo,*

**DNO. ALBRECHTO WIEMANNO, Senatori**

*Unn. spectatiss. nec non Eccles. Antistiti meritisimo,*

**DNO. EBERH. HENR. BROCKHAUS, Senatori**

*ibidem bene merito,*

**DNO. EBERH. WIEMANNO, Negotiatori ex-**

*peditissimo & reddituum Camerae Unnensis dispensatori fidelissimo,*

**DNO. JOHANNI FRID. RUMPFIO, Negotia-**

*tori apud Unnenses spectatissimo,*

**Dominis, Patronis, Fautoribus, respectivè Cognatis atqve Avunculo per-**

*petuò devenerandis,*

*Schediasma hoc literarium, addito omnigena prosperitatis Voto,*

*sacrum cupit*

**REINHARDUS HENRICUS ROLLIUS, AUTOR,**



## PRÆFAMEN.



E Doctis natione Westphalis quædam commentari apud animam  
haud pridem constitueram, rationibus, ut opinor, longè gra-  
visimis inductus. Ante omnia quidem impellebat, quo labora-  
mus, *Βιογραφίας* Westphalorum defectus. Qvod si enim u-  
num excipias *Herm. Hamelmannum*, SS. Theol. Lic. & Superint.  
Oldenburg, qui congescit & edidit Anno 1564, VI. Libros Illu-  
strum scientia, virtute & scriptis Clarorum Virorum, qui vel  
Westphali fuerunt, vel in Westphalia vixerunt, vel in ea nati alibi  
claruerunt; quantum quidem mihi constat, qui Doctorum Westphalorum vitas addi-  
tis scriptis & sicubi haberi poterant, elogiis, describere aggressus fuerit, hæcenus  
extitit nemo. Deinde permovebat effatum Viri sine controversia magni atque ad mi-  
raculum docti, *Herm. Conringii*, qui in *Epist.* ad *Πολυμάχου* *Henr. Meibomium*  
Celeb. ejusdem nominis Avi Opusculis historicis, res germanicas spectantibus, edit.  
1660. præfixa, illos (ait) *non satis ingenue præditos esse animo, qui ita peregrinis in-  
tenti sint, ut præscas Patria res negligant, vel elati quasi manibus suspendant, imò  
nec in Majores quidem esse satis sanctos.* Qvod ipsum effatum tot comprobatum  
Scriptorum etiam vetustissimorum testimoniis, si susque deque habere vellem, in Pa-  
triam injurius jure meritòque haberet. Quo accedebat aliorum, suæ gentis Erudito-  
rum memoriam ab interitu vindicare adlaborantium, Exemplum, mihi licet eruditi-  
one longè inferiori imitandum. Qvod recentissimè in *Conspectu Lusatia literata* tribus  
Dispp. absoluto præstitisse *M. Pet. Finichium*, hodieque agere *D. G. P. Schultzium*  
in *Dissertationibus Epist. de Claris Marchicis* nemini credo esse incomptum.  
Cum vero Eruditorum totius Gentis meæ sanè amplissimæ vitas exponere  
immenti, ut facili quilibet conjecturâ assequuntur, laboris sit, placuit ex consilio  
Amplifi. Dn. Præsidis mei, ceu primitias quasdam futuri operis ventilationi Acad. sub-  
jicere Exercitationem præsentem de *Westphalorum Meritis in Academiam Rostochien-  
sem*. Cujus per aliquot jam annos civem me fuisse, salutari ejus abs Doctoribus do-  
ctrinâ innutritum, lætor & quoad spiritus hos reget artus, lætabor. hæc enim, quan-  
tum tenuitas mea permiserit, & deinceps hac Academia, studiorum meorum matre,  
in gratitudinis signum, & de dulcissima Patria mea qualicunque modò mereri me pos-  
se arbitratus sum. De illa, quando quorundam ejus, quorum hodieque merita ves-  
neratur, Professorum, vitas scriptaque eorum recensendo, memoriam renovabo; De  
hac, quoniam eorum quodammodo credo os obturatum iri, qui de Westphalica Na-  
tione pessimè sentientes, vel nullo planè, vel exiguo saltem nec memorando erudi-  
torum candem gaudere proventu causantur. Quos, ne mediocrem suam, ne dicam  
nullam, in re literaria scientiam hòc ipsò plus satis prodidissent, Virorum omni laude  
majorum, quibus Westphalorum in omne studiorum genus merita mactant, elogia  
percipere juvasset. Non quidem in iis, quæ numero aliàs sat magno collecta habeo,  
adducendis esse prolixior volo; unum tamen alterumque abs hujus Academiæ Celeb-  
biss. viris profectum inserere haud, spero, ingratum erit. *David Chytraus*, alter  
quasi hujus Acad. parens de eademque immortaliter cum gloria immortaliter meritis,  
(quale de hoc viro judicium est Magni *Fechtii*, *Orat. de stud. Exeg. in Acad. Rost.*  
*semper exculto*, suby. *Exegg. Schom.* in *Epp. Pauli Min.* pl. Hh. 3.) in *Chron. Sax. lib.*  
*III.* fol. 76. *Estque hoc illustre* (inquit) *ingenii, virtutis & industria argumentum,*  
*quod in vicinis urbibus & aliis locis Westphali, etiamsi peregrini sunt, tamen ad*



Consilia & gubernationem Rerump., Ecclesia & Scholarum praeindigenis fore adhibetur. Idem in Orat. de Westph. apud B. Joh. Goes in Variis de Westphalia Opusculis, p. m. 16. Multos doctrinâ & virtute excellentes Ecclesia & Rerump. gubernatores peperit natio Westphalica, qui demonstrant ingenia Westphalorum ad literas, ad disciplinam, ad virtutes, ad doctrinam, ad alias honestas artes idonea esse. Joh. Castelin in Memoria Nic. Gonii, Westph. apud eundem Goes l. c. p. m. 183. -- Transversera tellus altera clara virum, dextraque animoque valentum. Idem in Epist. ad Joh. Reesum, ibid p. 172. Et ipse Westphalos viros doctissimos noveram sanè multos & celebrari audieram plures, e quibus erant praecipui & memoriae consecrandi, si quis scribendo tantum valeat, &c. D. Joh. Quistorpus in Progr. fun. quo ad exequias Herm. Schillingio, Consuli Rost. cundas 1621, cives Acad. invitavit, ita: Hunc amplissimum & prudentissimum, quem nunc lugemus, virum, Westphalia magnorum Virorum parens dedit. Fac, jurid. in Progr. fun. D. Ern. Coshmanni 1614. Westphaliâ adpellat ingeniorum optimorum genitricem & efformatricem fertilem. Magnif. Dn. D. Fecht, in Progr. fun. Joh. Chr. Hufvuedelii 1702. Westphaliâ (insit) cum nomina, eam me innuere Provinciam cunctis intelligunt, qua & ubere Virorum in omni eruditionis genere proventus semper fauenda fuit & huic ipsi Patria nostra & olim celebrem Coshmannorum & hodie Redekerorum gentem protulit. Imò si elogii Doctorum Virorum contenti esse iniqui isti censores nolint, exequant ipsi, licet, Westphalos, quorum universa Germania, ne dicam tota penè Europa, maxima celebrat merita, visuri, an unquam eruditione, doctrina meritisque ab ulla gente victi fuerint, quos inique traducunt. Occurrent Roslevinkii, Glandorpii, Rivii, Bonni, Nessenii, Wihones, Wunibaldi, Hegii, Murmelii, Langii, Heistermanni, Goeddei, Deichmanni, Goolenii, Goltzii, Witkindi, Dorstenii, Bontii, Freitagii, Perizonii, Michaëles, Vesalii, Lindershaufii, Bachovii, Sleidani, Barlzei, Sturmii, Meibornii, Puteani, Umii, Emmii, Goechaufii, Velsenii, Heringii, Portmanni, Leonclavii, Domanni, Buxtorfii, Schrackmülleri, Gryphian-dri, Olearii, Klockii, Junii, Boschii, Sedulii, Angeloeratores, Potyandri, Altingii, Fabricii, Widmarii, Husenii, Oemichii, Hamelmanni, Reinicii, Cooringii, Nicolai, Mülfemannii, Feurbornii, Scheibleri, Botfacci, Friedlibii, Hannekenii, Sandhagenii, Wiemannii, Schurtzschii, Fuhrmanni, Kleinschmidii, & quis numerare omnes valebit? Neque ipse nunc acturus id sum, ut omnium eorum, quas, vel ipsâ invidiâ teste, meruere, laudes concelebrem. Eos commemorare duntaxat placet, qui de Acad. Varniaca optime sunt meriti, quorumque memoria Rostochiensibus non nisi grata esse potest. Utpote in Sectione Theol. Jo. Affelmannum, Steph. Clozium, Jo. Coshmannum, Til. Heskusum, Eilb. Lubinum, Jo. Christoph. Ottonis, & Jac. Diersfeldium. In Sect. Jurid. Ern. Coshmannum, Thom. Lindemannum, Henr. Rud. Redekerum, Christoph. Redekerum, Henr. Schneckmannum, Eliam Perottum & Theod. Varennejerum: In Sect. denique Phil. Henr. Arsenium, Jo. Bocerum, Arnoldum Burenium, Herman. Buschium, Bernh. Gosmannum, Conr. Schlüsselburgium, Mart. Troßium & Henricum Welpium. Haud tamen, Lector! in exigua hac opella offendes, quæcunque de iis dici poterant, omnia. Delineata tantum eorum Tibi merita sistuntur, vitarum perbreves ex authenticis tamen, quantum fieri licuit, Programmatibus, servatis quandoque ipsis eorummet verbis, collectas leges descriptiones. Scripta nonnisi quoad inscriptiones & editiones relata videbis. Ubiorem namque eorum dare recensionem Speciminis Academiei limites prohibent: à qua etiam ed lubentius abstinui, quoniam isthoc in negotio Cl. Dn. Praeficiem, Vitas Professorum Rostochiensium plenius descriptas aliquando daturum, occurrat novi. Interim hoc quicquid est operis mei ut, quisquis fueris, Lector! æqui bonique consilare digneris, est, quod majorem in modum abs Te contendo.

Sect.



# SECTIO I.

delineans

## MERITA THEOLOGORUM.



Rdine, quem hac vice in qualibet Sectione servaturi sumus, alphabetico, sistitur primo inter Theologos loco

### JOHANNES AFFELMANNUS,

Natale solum agnoscens nobilissimum Westphaliae emporium, magnificis aedificiis Templorumque multitudine maxime conspicuum, *Susatum*, aliis ex vernaculo *Soesta* dictum. Parentibus enim prognatus ibidem est Senatoria dignitate eminentibus, Anno 1588. M. Nov. die Catharinae sacro, Patre quidem *Henrico ab Affelen*, Senatore; Matre vero *Anna Michaelis, Sim. Michaelis*, ejusdem Reip. Consulis filia. Cum vel ipsa in infantia ingenium ei à DEO concessum haud vulgare adverteret Parens, studiis eum dicatum Scholas primò patriam, dein Tremoniensem (in Archi - Gymnasium postmodum evectam) tum Corbachianam, denique Lippiensem frequentare iussit. In quibus omnium cum admiratione ac applausu in lingvarum artiumque studiis tantum fecerat progressum, ut Anno æt. 15. Marburg. adire Academiam potuerit. In hac, electo sibi S. Theol. studio, Doctores suos, *Jo. Winkelmannum & B. Mentzerum*, (quos introductà 1605. Marburgi Religione reformatà Gießam emigrantes comitatus est) tanto cum fructu audiuit, ut Anno æt. suæ 17. summa cum laude Præside *Mentzero de Collatione doctrinae Zwinglii, Calvini, Bezae & sociorum cum A. C. in XII. posterioribus Articulis* publicè disputaverit, quæ Disp. inserta est Tom. I. Dispp. Gieß. num. X. Ultra quadriennium his in locis commoratus, ann. 1607. Varniacam hanc ingressus est Acad., non auguratus fortè, eidem se sua consecraturum esse merita. Attamen hæc ipsa fuit, cui præstanda ea erant. Cum enim hic substitisset biennio nondum integro, adeò de summa ejus eruditione fama increbuit, ut Ampl. Reip. Rost. Senatus, Acad. Compatriotus, cui dimidiam Professorum partem constituendi jus est, Pro-

A 3

fessio-



fessionem ipsi Theol., quam vacare paulò ante abitu suo ad Superintendententiam Güstrov. fecerat *D. Lucas Bacmeisterus* II. ultro obtulerit, annum agenti vigesimum primum, (minus enim accuratè à *G. M. Königio in Biblioth. Vet. & Nov.* p. 14. b. numeratur annus 22.) quò ipso & summos in Theol. FCte honores suo merito consecutus est. Qualia ingeniorum Exempla cum oppidò rara sint, Magnus noster *Fecherus* scribere de eo non dubitavit: *In quo (Affelmanno) miraculi instar fuit, quod quasi adolescens unius & viginti annorum & Doctoris gradum & Theol. Professionem suscepit. Orat. de Exeger. studio in Acad. Rost. semper exculto, annexa B. Schomeri Exeg. in Epp. Pauli Min. Neque immeritò à Clar. Dn. M. Dav. Schulteto Doctis præcocius annumeratus est in Accessionibus ad Bailleti Lib. Des Enfans devenus celebres par leurs études, ou par leurs écrits, quas in Acad. Witteb. Præside Celeb. Dn. Klausingio Disputationis loco ventilationi publicæ subiecit 1702.* Ab eo autem tempore inde, quo introductus Professor fuit *Affelmannus*, præclare de hac Acad. meritis est, nec mereri desiit ad extremum usque vitæ suæ halitum. Vivum ejus fuere testimonium Viri, quos ita formaverat, ut emolumento Ecclesiæ Christianæ maximo esse potuerint. Et hodiernum adhuc, quotquot ejus exstant inferius recensenda scripta publicè loquuntur. Testantur illa, quanto studio, ne juvenum animi Adversariorum Veritatis illecebris irretirentur, præcaverit, quamque solida doctrinæ nostræ fundamenta ex Script. S. solidè commonstraverit. Audiamus de hoc iterum Magnif. Dn. *D. Fechtium* l. c. ita loquentem: *Quamquam in Polemicis præcipuè fuerit occupatus, plurimæ tamen Dispp. ad illustra Scripturæ loca instituta, quâ curâ ad S. Bibliorum lectionem suos adduxerit, abundè demonstrant.* Cum primis contra Reformatorum errores calumniosos illi tum temporis huic Acad. erant, Güstrovii in Ducali sede & aula commemorantes, ipso Sereniss. Duce *Joh. Alberto* ipsorummet Religionem professo. Criminatur equeidem *God. Arnoldus in Hist. Eccl. & Har.*, de qua quid sentiam, in *Disp. de Nuno Confess. & Obl.* nuperrimè sub Præf. Magnif. *D. Engelkenii* hab. exposui, ut repetere opus non sit, P. II. Lib. XVII, c. VI. §. 46., *Affelmannum* postmodum studium Pol. planè rejecisse, Wiewol nun (inquiens) dieser Mann seine meiste Zeit und Schrifften an Widerlegung



gung der Käßer gewendet / so hat er gleichwol das Elend solcher Dinge endlich erkannt / und seine vorige Actiones gleichsam widerrufen / und in einem öffentlichen Programme also geschrieben : Ich trage kein Bedencken u. Sed apertè falsum hoc esse iudicium patet, (1.) enim in verbis Affelmannianis nihil aliud taxatur, quam abusus studii Theol. Pol., si illud cum neglectu pietatis conjunctum sit, (2.) ex professo Affelmannus eöpsle hoc Programme, quod pro se allegat Arnoldus, unde malitiam ejus vel manibus palpare datur, ostendit utilitatem Disputationum & in qvavis ferme linea partim suis partim aliorum Theologorum verbis Theologiam pol. multis encomiis ornat atqve commendat, quod ex inspectione *Syntagm. Affelm. P. I. p. 1101.* patebit. Vid. Disp. sub Præsidio prælaud. Dn. D. Fechtii hab. quæ defensionem *Theol. pol. contra Arnoldum* exhibet, p. 151. f. Nec minus (ut ad merita Nostri revertamur) operâ sua Affelmannus Academiæ profuit, FCtis suæ Decanatum gerendo totiusqve Universitatis Magistratus munus sustinendo. Rector enim eidem bis præfuit, Anno sc. 1612 & 1618., utrâque vice per integrum semestre hybernum. Sed verò diu Rostochiensibus non licuit frui tanto Theologo, qvî Anno 1624. 8. Octobr. atatis 35., cum continuis meditationibus & lucubrationibus, qvibus non integro modo die, sed & in profundam usqve noctem operam dare consueverat, quâ adamantinâ diligentia tantam tamqve incredibilem linguæ Ebr., qvam aliis rebus Theologo itidem scitu necessariis nimium intentus, primo nondum exactè callebat, unius mensis spacio notitiam sibi acquisivit, ut mense isto præterlapso hebræam Disputationem eadem lingua habuerit, quod ex ore Dn. D. Seligmanni refert Dn. M. Tschanternus in *Disp. de Eruditis studiorum intemperie mortem sibi accelerantibus*, Sect. hist. Cap. I. §. II. Lips. 1704. Præfide Fr. Boettnero habitâ) ventriculi imbecillitatem & phthisin sibi conscivisset, linquere mundum à DEO jussus est. Idqve propter haud inconvenienter abs eod. M. Tschantero l. c. Eruditis studiorum intemperie mortem sibi accelerantibus accensetur. Vitam magni hujus Theologi, quod institutum nostrum nequerequirat neque permittit, prolixius describere Ern. Coccius in *Orat.* hab. 1625. seorsim excusa & à *Vittorio Memoriis Theologorum renovatis* Dec. II. p. 179. ff. inserta, Freherus in *Theatro Illustr.* Vir. P. I. p. 422, conf.



conf. & *Wittenii Diar. Biograph. ad A. 1624.* Neque etiam nostri est instituti, conquisita magno numero à summis Theologis, *Calovio, Quenstedio, Moebio* aliisque (à laudatis enim laudari vera demum laus est) *Affelmanno* tributa elogia testimoniave transcribere. Non tamen præterire possum *Celeb. Dn. D. Mayeri* iudicium, cui in *Disp. de Nimia lenitate Phil. Melanch.* 1695. in Acad. Kil. hab. & nuperrimè *Gryphisvvald.* recusa p. 5. *singulare decus non Rostochii tantum sui, sed universæ Ecclesiæ audit.* Convertimus nos potius ad recensionem Scriptorum *Affelmannianorum*, ex quibus magna ejusdem judicari merita possunt. Sunt verò ea duplicis generis, quædam enim polemica extant, quædam exegetica, in suum quæque Tomum à *B. D. Mabio* distributa & 1674. edita sub Tit: *Syntagma Exercitationum Acad. &c.* quod continet *Dispp. & Tractatus 47.* longè itaque auctius illo, quod ipse olim *Affelmannus* 1623. edidit, *Syntagma, de Articulis fidei maximè inter Lutheros, Pontif., Calv. & Photinianos controversis*, quippe quo 30 saltem materiæ continentur, recensitæ à *Wittenio* in *Memoriis Theoll. renov. Dec. II. p. 204. f.*

In Tomo polemico seqq. continentur: 1. *Miscell. select. de Theol. de Script. S. de tribus libris DEI & destinatione Decal. Rost. 4. 1622. II. de Scriptura S.,* quæ est prima in *Syllabo Disp. Theoll. de præcipuis quibusdam Relig. Christ. capitibus*, ab ipso *Affelmanno* publicato *Rost. 4. 1612. & 1620.* forte etiam teste *Mart. Læpensis in Bibl. reali Theol. Hamb. 1612.* Continet autem Syllabus iste *Dispp. de Script. S., de DEO, qua unus, de DEO, qua trinus est, de Christo, de creatione, de Baptismo, de S. Coena, juxta seriem LL. Theoll. à Mabio Syntagmati insertas, III. Heptas illustrum Qq. de Script. S. 1618. IV. de DEO, qua unus est, 1612. V. de Deo, qua trinus est, 1612. VI. De Christo, 1612. VII. Illustriores Quæstiones de persona Christi, 1614. VIII. Aphorismi de Unione duarum in Christo nat. hypost. 1616. IX. de Communionem duarum in Christo naturarum & idiom. hypost. 1617. X. Censura censuræ Lampadianæ, sive invicta assertio doctrinæ catholicæ de Omnipræsentia Christi secundum naturam ejus humanam pro D. Phil. Nicolai, adversus M. Jo. Lampadium, 1610. 1615. XI. Apologia de Omnipræsentia Christi secundum humanam naturam, c. Jo. Lampadium, Disputationibus ejus apol., quas habet in libro de consiliis, opposita, 1615. XII. de Descensu Christi ad inferos, 1616. XIII. de Spiritu S. persona, 1620. XIV. de Creatione, 1612. 1620. XV. Nosce te ipsum h. e. de homine ejusq; conditione primogenia; seu, ut *Mabius* Titulum posuit: de Statu integritatis ante lapsum, 1620. XVI. de Peccato in genere & in specie, *Disp. inaug. pro Doct. Præf. Lubino*, 1610. XVII. de Pecc. in Spir. S. 1612. XVIII. de Prædestinatione, sub Tit. ad doctrinam de Prædest. synoptica & thetica manductio, 1614. XIX. de Jullif. hom. peccatoris coram DEO, 1611. XX. Pentadecas theorematum theoll. de sanctissimo Christi merito, 1615. XXI. de Ecclesia, 1617. XXII. de Perseverantia.*



raniam sanctorum, 1619. XXIII. De Hæreticis ferendis, non auferendis, 1613. XXIV. de Quæst. Quisnam sit verè hæreticus? 1620. XXV. Specimen confictus anti-Jesuitici; sive expedita & expetita Anatome foetus Jesuitarum Paderbornensium, de Invocatione sanctorum. In qua simul subtiliores Rob. Bellarmini, Georg. Vazquez, Franc. Costeri, Mart. Becani aliorumque Jesuitarum argutationes ad vivum refecantur & accuratè examinantur, 1616, 1619. XXVI. de Baptismo. 1612. XXVII. Synopsis Controv. de Sac. Bapt. 1614. XXVIII. de fide infantum baptizatorum, 1623. XXIX de S. Domini Coena, 1612. XXX. Synopsis Controv. de S. Coena. 1611. XXXI. *Συγρημα-λαίσως* Controv. tum vet. tum recent. de Coena, 1620. XXXII. Centuria positionum de S. Coena, continens controversias tum veterum tum neotericorum, 1613. XXXIII. Trias Syllogismorum Anti-Calv. (1.) quod non idem Deus sit Calvinistarum & Orthodoxorum, (2.) quod actionem Christi, nempe fractionem panis in S. Coena Calviniani trahant à fine proprio in alienum & corrumpant, (3.) quod Calv. quemlibet in Relig. sua salvari posse credant, 1615. XXXIV. de Philipismo fugiendo, 1616. XXXV. de utilitate Dispp. 1620. XXXVI. Syllogismus in Jubileo Acad. Rost. ad disputandum propositus, 1619. *In Tomo Exegetico* hæc comparent: I. Explicatio Zach. V. 1. ubi simul de Pontificiorum Jubileis agitur, 1617. II. Resolutio Triados verborum à Christo in cruce prolatorum, ex Luc. 23. 34. Joh. 19/26. 27. Luc. 23/43. 1615. III. Resolutio Tetrados verborum à Christo in cruce prolatorum, ex Marc. 15/34. Joh. 19/28. cap. eod. v. 30. Luc. 23/46. 1617. IV. de Invocatione ex Joh. 16/23. cum annexo Corollariorum pari, quibus Theses de Calvinistarum Deo & imaginibus vindicantur, 1622. V. Meditatio theol. Oraculi Paulini, Act. 20/28. 1620. VI. Explicatio dicti apostoli. 1. Cor. 10/16. Poculum, &c. 1623. VII. Aphorismi Theol. ex Phil. 11. 5. seqq. 1618. VIII. Explanatio Apoc. 10. 3. de duobus Testibus, 1612. IX. Vindicatio Textus Apostoli. ex 1. Cor. 11/23. 24. sive Examen Concionis Rhuelianæ, das ist: Gründliche / beschreibendliche und treuherzige Schulfführung und Abfertigung der Calvinischen Sophistery / Dünsten / Grillen und Ratterfischen / damit der unbeständige Apostata Fr. Rhuelius, 169. Fürstl. Meckl. Hoff-Prediger zu Güstrow seine unnütze verworrene und unlängst durch öffentlichen Druck ausgesprengete Predigt / Plauderment und Klapperwerk von dem hochwürdigen Abendmahl des Herrn durchspicket / durchsicht und durchklickt hat. 1618. X. Auslegung des Geheimnisses von den Henschen ex Apoc. 9 / statt einer über D. Schlüsselburgs Antwort auff die Calvinische Käster-Schrift D. Pelargi, und zweyer andern. XI. Explicatio Capitis 3. Genes.

Duobus his Tomis *Appendicem* annexuit D. Moebius scriptorum Asselmannianorum maximam partem ineditorum, Lipsi, 1677. in qua habentur seqq. I. Lutheranorum clypeus, h. e. assertio solida divinæ ac infinitæ Majestatis Christo secundum carnem datæ, Calvinianis imprimis opposita ex nobili Aphorismo Matth. 28/18. *ἐδωκεν μοι*, &c. II. Currus Christi triumphalis, vel brevis repetitio sanæ doctrinæ de gloriosa Christi Immanuelis nostri Ascensione in coelos & majestatica sessione ad dextram Patris, III. de Christo IV. XI. Quæstiones theol. de Baptismo. V. Collegium Theol. prius, in quo juxta methodum & seriem LL. Theol. in Comp. B. *Hafsenrefferi* multæ controv. quæstiones pro & contra ventilantur & deciduntur. VI. Coll. Theol. posterius, proponens objectiones & solutiones breves ac nervosas, potissimum con-



tra Articulos fidei in Libro Concordiæ descriptos, quibus tamen alii quidam ad-  
juncti sunt, ex ore B. D. Affeltmanni exceptæ & fideliter consignatæ à quodam ipsius  
auditore.

Præter hæc à Moebio collecta, mihi seqq. adhuc innotuerunt :

1. Disp. de Pœnitentia, Rost. 4. 1614. 2. Conflictus anti-Jesuitici tres, s. Anato-  
me foetus Jesuitici, Hierophantarum novæ Acad. Paderborni, Westph., nempe : de  
sanctorum invocatione, purgatorio & communione sub una specie, cum auxilio  
argumentorum de Rom. superstitione deferenda, Evangelica verò Religione ample-  
ctenda, Rost. 8. 1616. 3. *Wolgegründete Erklärung / Widerlegung und Antwort*  
*D. Pelargo und seinen Spiß-Gesellen / dem Fincken, Füßeln, Bergio, Fabronio und*  
*dergleichen Berlinischen Reformanten eingeschickt und entgegen gesetzt / darauff sie*  
*(præfixum enim simul nomen est D. C. Schlüsselburgii) nunmehr eine Antwort er-*  
*warten.* Rost. 4. 1617. 4. *Descriptio viva duorum Tellium apocalypt. sub Tyrans*  
*nide Anti-christiana veritatis patrocinium Suscipientium,* ibid. 4. 1639. *vid. Mart. Li-*  
*penius in Bibl. real. theol.* 5. Phosphorus veri Catholicici, de via Papatus & viam re-  
giam ad Ecclesiam verè catholicam & Apostolicam fideliter monstrans faciemque præ-  
luens Hodegum Petri Patzmanni. Witteb. 4. 1626. *vid. Wittenius in Memor.*  
*Theoll. Dec. II. p. 208.*

## STEPHANUS CLOTZIUS,

Lippstadiensi in urbe Anno 1606. Mens. Sept. lucis usurâ frui cœ-  
pit, Patre *Steph. Clotzio*, ad D. Mar. Maj. Past. & R. M. Sen., Matre  
*Eva Breden*, ex parente *Georg. Breden*, Viro Senatoria dignitate  
conspicuo & *Elisabetha Herselsa* prognata. Quamvis parente sex-  
ennis adhuc orbarus fuerit, scholam tamen patriam visitare  
jussus, in eaque fidis commissus Præceptoribus, omnium spem  
votumque adeo superavit, ut 12. ætatis anno Gymnasium Susat,  
vicinum adire potuerit. Ibidem cum aliquandiu egisset, in stu-  
diis adeo profecit, ut proprio Marte ex ipso Peripateticorum  
Principe Logicam sibi formaverit, quam & viri deinceps eru-  
ditissimi admirati quam maximè fuerunt. Cumque omne jam li-  
terarum genus, quod Gymnasticum s. scholasticum vocant, pe-  
nitius hausisset Noster, suasu patruelis sui, *Gerh. Clotzii*, J. V. D.  
& Reip. Susat. Consul. ad Marburg. se contulit Academiam.  
In hac ipsa non philosophicis solum studiis strenuam navavit  
operam, Præceptoribus usus in Ethicis *Goclenio*, in Physicis *Ton-*  
*sore*, in Logicis & Metaph. *Dannhauero*; sed & in Theologicis at-  
tentâ audivit alacritate *D. Furbornium*, popularem suum, cujus  
& usus tecto fuit, *Winckelmannum*, *Menzerum* & *Steuberum*. Tan-  
tâ verò jam excellebat Noster eruditione, ut de eo, publicè sub  
mo-



moderamine *Dannhaueri* disputante, ipse Præses fateri nullus dubitaverit, sibi ambiguum esse, utrum in palæstra disputatoria Præsidis, an Respondentis sustinuerit partes. Adeò in sui admirationem rapuerat summum Virum, qui & ea de causa, ad Professionem Argent. in Acad. vocatus, *Clotzium* itineris elegit comitem, de quo mediocre nihil sperabat. Promiserat id Præceptor *Clotzium*, sed postea renuit, non ex contemptu fortè viri de se meritissimi; sed arcano haud dubiè summi Numinis consilio, quod Rostochiensis eum, de qua posthac optimè mereretur, Academiae destinaverat. Hanc itaque Academiam, rarâ omnis generis scientia instructissimus, 1627. æt. anno 21. ingressus, suavissimè à Doctoribus susceptus adque gradum Magisterii eodem anno invitatus est. Quem eò quidem libentius sibi conferri passus est, quo cupidine flagrabat majori, instituendis Collegiis & Dispp. publ. de studiosa juventute merendi. Maectatus itaque Doctoratus Phil. honoribus, suorum in Academiam meritorum fecit initium, atque confluentibus undique Studiosis modò Methaphysicas aperuit scholas, modò Physicas, jam pro desiderio audientium Logicam, jam vicissim Ethicam professus. Disputationibus præterea publ. frequenter institutis omnigenam adeò prodidit eruditionem omniumque in se convertit oculos, ut à Reip. Rost. Proceribus ad Archi-Diaconatum primò Jacob. 1629, & 1632. ad Professionem Theol. Æt. 26. vocaretur, habitaque Disp. inaug. triennio post Doctoris titulo, insignibus & honoribus augeretur. Quo ex tempore adeò crevit *Clotzium* meritorum, Lectionibus publicis privatisque ac Dispp., nec non Magnifico Magistratus Academici (quod sustinuit Anno 1633. semestr. hyb.) ac Decanatus munere præstitorum gloriâ, ut Aulas Regum Principumque, varias itidem Academiae fama Clotziana impleteret. Delectatus cum primis fuit studio Exegetico, ad quod Theol. Cultores strenuè invitavit. Testari id possunt variæ Dispp. ad illustria Script. S. loca propositæ, imò, si nil aliud suppeteret, unus solusque *de Angelolatria Tractatus* satis prolixus (tribus enim ferè Alphab. constat) maximè *ἀπορίαι* elaboratus, apertissimum illius rei documentum præbere potest. Propositum fortè sibi habuerat à collata in eum



Professione *Clotzianus*, merita sua per integros vitæ suæ dies huic Academiae consecrare. Sed cum tanta jam juvenis Professoris in eam proflarent merita, quanta à provectioris ætatis viris sperare fas est, DEI consilio sapientissimo à Christiano IV. Dan. & Norweg. Rege ad Superintendentis Generalis in Duc. Holsat. & Slesvic. munus Anno 1636. ætatis nondum exacto trigésimo, ad Præposituram item & Pastorum Flensburgensem vocatus est. In quibus officiis per integros 32. annos substitit & subsistere ad mortem usque in votis Nostro fuerat, nisi à Rege Frid. III. ad moderanda in Regia Hafniensi Consilia Ecclesiastica accersitus fuisset. Sed impediante fato, lubenti licet Nostro non licuit oblatae spartæ præesse, eodem, quò evocatus fuerat, anno, ætatis 62. ad cœlestem Acad. translato, Ann. post C. N. 1668. Fusius vitæ curriculum & conjugia, in quibus recensendis prolixis heic esse non convenit, descripsit *Olaus Müllerus*, Past. Flensburg., in *Concione funebr.* Memoriae Clotzianæ consecrata, cujus personalia, ut vocantur, *Memoriis Theoll. renov.* inseruit *Wurenius*, Dec. XII. p. 1615. ff., qui & pauca quædam de eo habet in *Diar. Biogr. ad Ann.* 1668. Prolixiorem vitæ ejus Historiam promissit Celeb. Polyhistor, *Job. Möllerus* in edenda abs se *Cimbria Literata*, qui paucis videri potest in *Isag. ad Hist. Cberfon. Cimbr. P. III. c. 3. §. 29. n. 7. p. 334.* Nos, quibus magna Clotzii merita ex scriptis æstimare solenne est, eadem jam, quòt nobis innotuerunt, recensere suscipimus. Sunt verò sequentia:

1. Exercitationes duæ Gymnasialis logicæ, Rost. 4. 1628. 2. Tractatus de Angelolatria, h. e. religiosa, ut vocant, adoratione & invocatione Angelorum, contra Monachos & Jesuitas. Præfixa est Diss. de Natura & ratione idololatrias in genere, ibid. 4. 1636. 3. Tractatus de Baptismo, ibid. 4. 1636. 4. Pneumatica s. Theologia naturalis, h. e. de DEO, ut naturâ cognoscibilis est, Tractatio theol. & scholastica, è Scripturis, B. Patrum & priscorum Philosophorum scriptis ac sana ratione concinnata, primum in Acad. Rost. publicis privatisque Disputationibus exhibita, post in libri formam ab Autore ipso redacta, multique in locis aucta. Cum præfixa diss. de Notitiis naturalibus, Rost. 8. 1640. 5. Historia Magorum, Francof. 4. 1672. 6. de sudore Christi sanguineo ejusdemque animæ cruciatibus Tractatus Exercitationibus aliquot comprehensus, Hamb. 4. 1670. Francof. 4. 1674. vid. *Lipenii Bibl. Real. Theol.* 7. Tractatus de Doloribus animæ Jesu Christi in horto & cruce Liber. I. Considerationibus 32. inclusus, Francof. & Hamb. 4. 1670. 8. Liber 2. de Cruciatibus animæ Jesu Christi, scil. de Tristitia, pavor, à *ἀσυνεχία*, *ἀγανάκτησις*, derelictione, Considerationibus 12, propositus, ibid. 1670, uterque liber postea



postea Hamb. & Holmiae recusus est, 4. 1684. 9. Concio funebris in obitum Gustavi Adolphi, Suecor. Regis, qui 6. Nov. 1632. prope oppidum Lützen vitam finierat, Rost. 4. 1633. 10. Commentaria & Annotationes in Epistolas Pauli, Rost. 4. 1656. 11. Geistliches Cypressen-Kränzlein / oder Leich-Predigten/ Lübeck 4. 1669. 12. Praxis Pietatis, oder Übung der Gottseligkeit/ Slesv. 8. 1670. 13. Comment. in Dan. ineditus, Olaus Müllerus in Concione funebr. apud Witten. l. c. p. 1619. 14. Disp. inaug. Præf. D. Jo. Quistorp 1. de Agno Dei, tollente peccata mundi. -- 15. de Auctoritate & perfectione S. S. -- 16. de Deo & attributis divinis &c.

## JOHANNES COTHMANNUS

Vitam suam ipsemet descripsit, his initium faciens verbis: *Brevis vite mea delineatio, qua sanè, cum hac 1650. 30. Apr. scriberem, nisi DEUS novas dederit vires, in ultimo termino videtur versari. Fiat voluntas Domini, & concedat ex hac vita vel morte potius beatum abitum Christus, qui me proprio suo sanguine & acerbissimis doloribus redemit! Adstet mihi ille in ultima mortis hora, cujus sum speculum, tot ineffabilibus suspiriis, lacrymis & cruciatibus acquisitum. Verbum tuum, ô bone Jesu, in cruce ultimum sit mihi quoque ultimum in hac luce! Tibi Trinus DEO commendo Spiritum meum, quem pretioso tuo sanguini redemisti. Rege tuo Spiritu meos filios ut & omnes ac singulos Christianos! Ex ipsa verò vitæ descriptione, quam, uti à B. Viro consignata fuerat, integram Programmati ejus exequiali inseruit Academiae Senatus, sequentia excerpemus: Natus Noster est Hervordiae A. 1595. circa Festum Bartholomæi, Patre Ludolpho Cothmanno, Canonico ad SS. Johannis & Dionysii, Matre Catharina, Senatoris Bielfeldensis, Jodoci Dickhoff's filia. Jactis in Schola patria primis studiorum fundamentis, post parentum obitum, D. Jo. Cothmanni, Consulis Osnabr., Propatris sui suasu ac hortatu Osnabrugam 1612. adiit, ubi per triennium studiis dedit operam. Eodem Authore 1613., altioribus aptus studiis, ad Gieß. Acad. se contulit, ibique, celeb. Mentzero commendatus, quadriennium cum dimidio substituit. Qualem in ea Acad. se gesserit, testari specimina possunt, sub acerrimis Evang. veritatis propugnatoribus, DD. Winkelmanno, Mentzero, Feurbornio, Gisenio de gravissimis Religionis nostræ capitibus diversis vicibus habita. Occurrunt duo Tom. VII. Dispp. Gieß. n. IX. p. 102. n. XII. p. 164. Quamvis verò hæc ipsa Academia de præmiis eruditioni Cothmannianæ statuendis maturè cogitatura fuisset; nihilominus tamen, cum Acad. Rost. meri-*

B 3

torum



torum Cothmannianorum gloriâ illustrior reddenda fuerat, eam ipsam ingressus est 1619. 15. Octob., & statim sub accessus initium in publica Jubilei Academici solennitate 17. Nov. præsentibus Sereniss. Principum & Ampliss. Senatus Legatis, Præsidente *D. Af-felmanno* Syllogismum Anti-Christo Romano oppositum defendendum suscepit. Quâ ipsâ Disp. tantam laudem promeruit, ut Professione Theol. haud indignus haberetur, quâ & anno 1625, postquam 1622. *D. Francum*, Profess. Francof. in materia de Evcharistia adortus fuisset, à Duce *Joh. Alberto* clementissimè donatus & ab ipso Principe ad capeffendum Doctoris titulum certas, nescio quas, ob causas Wittebergam ablegatus est. In qva Decano *D. Balduino*, exantlatis feliciter examinibus (ut vocant) rigorosis habitâque Disp. inaug. Theol. Licentia-tus, & Anno 1634. demum, antea enim defectus competitorum id non permiserat, Doctor creatus est. Publico munere Aca-demico ornatus, meritum in hanc Academiam initium fecit, tam sedulum publicè privatimque habitis Lectionibus ac Dispp. sese demonstrans, ut, nisi adversâ fortè valetudine impeditus, nullam horulam instituendis Studiosis destinatam, quâ non vacaverit laboribus, prætermiserit. Quâ ipsâ assiduitate studiosis-simè præcavit, ne meritum à posteris quoque deprædican-dorum gloriæ vel tantillum decederet. Ad studium præprimis polemicum (non neglecto tamen biblico, qvòd plurimæ Dispp. ad diversa Scripturæ loca institutæ demonstrant) suos dexterri-mè manuduxit, in quo tam erat versatus, ut quod tractandum sibi contra Adversarios sumebat, adeò exhauriret, ut specilegi-um vix relinqueret aliis. Quod vel solus *de Prædest. Tractatus* fu-ssimus probat. Insuper non de una tantum solaque Fac. Theol., ejus sæpissimè Decanatum gerendo; sed de tota Acad., Magni-fici Rectoris munus sexies, anno scil. 1627. 1633. 1639. 1641. 1644. & 1650. per semestria semper æstiva sustinendo, immor-taliter meritus est. Atqve hoc tanto quidem verius dici potest, quia ipsis meritis publicis immortalis est, dum A. 1650. 6. Oct. die Dominicâ in ipsa ad Templum via, annos natus 55. in ipso Rectoratu decessit, (ut ipse sibi, cum die Paschatos eligeretur, omnibus ferè membris tremens, non sine lacrymis, magnificè

fc



se sepeliendum prædicens, Propheta fuit,) plura haud dubiè toti præstiturus Acad, si vires vitamque longiorem DEUS concessisset. Conf. plur. *Freherus in Theatro*, p. 553. & *Magnif. Dn. D. Quistorpius, Progr. in Fest. incarnat. Filii Dei Sec. XVII. ultim. a, ad Annum 1650.*

Scriptorum Cothmannianorum hic esto elenchus:

1. Tractatus de Prædestinatione absolutissimus, in duas partes distributus, quarum prior XII. posterior X. Disp. Rost. 1633. ff. ventilatas complectitur. In quo ipso & Orthodoxa doctrina adstructa & adversariorum argumenta omnia destructa sunt sufficientissimè. 2. Invisita demonstratio contra Pontificios, in qua ostendit Pontificios quinti Evangelii i. e. doctrinæ Scripturæ S. repugnantis esse Professores, unà cum Prodomo, 6. Disp. constante. Operi ipsi, de quo tres tantum extant Disp. pauco ante obitum spacio ventilatæ, B. Autor immortalis est. 3. Destructio fundamenti papatus, in qua continetur Examen libelli *Elia Schilleri* sub Tit. *Grunde feste der Wahrheit* Viennæ 1629. publicati, 4. Disp. 1638. 39. 4. Disp. de Sp. S. 1639. 5. de Pecc. Orig. 1630. 6. de ead. materia Quaestiones scitu necessariae. 1631. 7. de Ecclesia, 1630. 8. de Lib. arb. 1631. 9. de Justificatione. 1631. 10. de S. Evcharistia Disp. 2. 1632. 11. de Iudice controversiarum. 1633. 12. De peccatorum causis. 1633. 13. de Quæst. Num fide in Baptismo donentur parvuli & quænam illa sit? 1634. 14. de Peccato in Sp. S. 1634. 15. de Baptismo. 1634. 16. de Satisfactione Christi pro totius mundi peccatis. 1635. 17. de Ecclesia. 1635. 18. De vivificatione & mellitissimo nomine Jesu. 1635. 19. de Sacramentis in genere, 1635. 20. De Baptismo Quaestiones V. contr. 1636. 21. Aphorismi Theol. ex Epist. ad Coloss. 1636. 22. de Ecclesia, 1638. 23. De Providentia divina. 1638. 24. De Persona Jesu Christi, oppos. Catech. Racov. 1639. 25. de Provid. divina. 1640. 26. Repetitio brevis doctrinæ de Baptismo, in Ecclesiis Orthodoxis Lutheranorum sonantis, additâ adversariorum thesin nostram orthodoxam impugnantis unâ assertionem & brevi refutatione, 1640. 27. de fide justificante, 1641. 28. *Ἀνακεφαλαίωσις* doctrinæ orthodoxæ de Spiritu S. 1641. 29. *Ἀνακεφαλαίωσις* doctrinæ orthod. de Natura verbi revelati. 1641. 30. Disquisitio theol. in qua colloquium fessitæ Joh. Gregorii ante II. annos cum Cothmanno in Disp. publ. de peccato habitum, breviter repetitur, 1641. 31. De unica & sola omnium contr. Religionis norma, verbo DEI, cont. Pont. 1641. 32. de fide justificante, 1642. 33. Explicatio & vindicatio Aphorismi primi Ps. CX. dixit Dominus Domino meo, 1642. 34. de reconciliatione hominis cum Deo ad 2. Cor. V. 18. ff. 1643. 35. Decades Exercitationum sacrosophilol. ad Genesim, quarum quælibet decem ex capitibus singulares continet observ. 1644. 36. De Justif. peccatoris coram DEO, sententiæ pont. refutatio. 1646. 37. Positionum theol. semis-Centuria, in quibus prævia sola Script. S. Mylt. Trin. demonstratur, 1649. 38. Duellum Evcharisticum, controversiæ cum D. Franco, Prof. Francof. quem Disp. publ. adortus 1621. fuerat, occasione, loco Apol. editum, 4. 1636. 39. Perspicillum Inspectori Francof. impositum 4. 1649. 40. Disp. varie in Libb. Symb. frequenter instituta. 41. Invectiva contra voluntariam insaniam & vitiorum omnium matrem, ebrietatem, 4. 1633. 42. Invectiva secunda voluntariæ insaniz ac vitiorum



tiorum omnium matris, ebrietatis, opposita. 4. 1639. 43. Necessaria defensio circa quæstionem : An nuptia *Comprivignorum* novo inter parentes partu præsentem contrahi possint? (contra M. S. Bohlium, qui quæstionem negaverat in Tract. c. Matris monium *Comprivignorum* scripto) præmissa historicâ relatione pro informando candido Lectore, ut ~~AVEU~~ *degnigato*; non solum de hac quæstione, sed & nonnullis aliis, occasionem præsentis materię præbentibus, dextre judicare queat. 1638. Cumque Bohlius responsum Cothmanno brevissimum opponeret, publicavit denuo *Refutationem brevem Responsi brevissimi Bohliani* eod. anno. Plura addere de hac contro. superfedeo, cum accuratissimè de ea egerit Magnif. h. Acad. Rector, Dn. D. Grapius, Patronus noster colendisimus, in dem Evangelischen Rostock / hoc ipso tempore sub prælo sudante.

## TILEMANNUS HESSHUSIUS,

Quamvis per exiguum tantum temporis intervallum hanc Acad. meritis suis collustraverit; non tamen sine laude dimittendus nobis est, Theologus quippe de pluribus Germaniæ locis, exceptis erroribus ultimis, longè maximè meritis. In lucem editus Velsaliæ, urbe Ducatus Clivenfis ad Rhenum hodie munitissima, 1526. 3. Nov., humanioribus totum se tradidit literis, de quibus non mediocriter meritis est. In studio verò Phil. et Theol. tantum jam profecerat, ut 1550. summâ cum laude Magisterii, Anno verò 1553. Doctoris Theologi titulo ornatus fuerit. Quò factò Superintendentiam Goslariensem sibi commissam ad annum usque 1555. sustinuit. Postmodum Religionem Luth. hinc inde promoturus, Rostochii, Bremæ, Heidelbergæ, Magdeburgi aliisque in locis docuit. Rostochiensẽm quidem Acad. & Ecclesiam eruditione & prudentiâ suâ insigniter juvit; & brevi licet tempore ab An. 1556. in seq. 1557. adeò de studiosa juventute meritis est, ut nunquam eos poenituerit Hesshusium audivisse profitentem, puduerit verò postea Rostochiensẽs, eundem expulsam ab ipsis esse. Scilicet cum innovare quædam pro cathedra (fungebatur enim & Pastoratu Jacobæo) videretur Rostochiensibus, pontificiis tum abusibus adhuc adfuetis, revera autem nihil nisi reliquias papales, utpote dominicales nuptias aliasque tollere adlaboraret, officium linquere jussus est. Vid. Petrus Lindenbergius in Chron. Rost. Lib. V. cap. X, qui ob magna merita ità de eo judicat : Tilemannus Hesshusius aliquamdiu Rostockii docuit, Vir ut eximiâ eruditione & Zelo, ità etiam variis utilissimisque Scriptis per  
univer-



universam Europam famosus, conf. pluribus Nicol. Gryssii Historia van der Leere / Lebende und Dode M. Joach. Slueters / pl. P. fol. 1. seqq. Rostochio discedens, Heidelbergam se contulit, ubi Acad. Professor & Eccl. Antistes constitutus est. Similiter in Acad. Jenensi 1569., in Regiomont. 1574. in Helmst. 1576. professorio munere defunctus est. In qvo postremo loco ad extremum usque vitæ halitum permansit ibidemque inter medias occupationes 1588. æt. 62. placide decessit. Brevius de eo egi, quia brevi tantum tempore Rostochiensium fuit. Plura verò qui desiderat, adire poterit Magnif. Dn. D. Fecitii App. ad Epp. Marb. c. IV. p. 89. ubi inter alia eum vocat Virum excellenti, sed vehementiori & inquieto ingenio, nec non Melch. Adami Vitas Theoll. p. 295. ed. noviss., Freheri Theatrum Viri. Illust. P. I. p. 274. Micælii Synt. Hist. Eccl. L. III. Sect. II. p. m. 757. f. ut & M. Jo. Casp. Zeumeri Vitas Theologorum Jenens. p. m. 76. ff. Scripta Heshusii, quæ aliis in locis longè plurima edidit, recensere supersedeo, cum recentissimè in Vitis Theologorum Jenens. laudatus Zeumerus l. c. illud præstiterit, ipseque in hac Academia tantillo temporis spatio vel pauca admodum, vel nulla prodire fecerit.

## EILHARDUS LUBINUS

Natus est in oppido quodam Ammerlandiæ (quæ pars est Comitatus Oldenburgici) Westerstede, Anno 1565. 24. Martii, Patre Frid. Lubino, Oppidi Pastore, & matre Cath. Bunings. Jam sub ipsa pueritiæ primordia parens in eo adverterat, quod quatuor egregiis donis, scil. optimâ indole, ingenii vi, memoriæ tenacitate & judicii (quantum in eam ætatem cadere potest) acumine à Deo donatus esset, quare fore hunc filium virum eruditum auguratus, studiis eundem dicatum Scholas diversas visitare voluit. Quas cum velocissimo cursu, adjutus maximis DEi donis emensus esset, septem Academiarum, utp. Lipsiensis, Colonienfis, Helmstad., Argentinenfis, Jenens, Marpurgensis & denique Rostochiensis Professores sedulus audivit. Ultimò verò locò adeunda fuerat Rostochiana nostra, partim ut, quicquid in prioribus hauserat solidæ doctrinæ & eruditionis, ad summum fastigium deduceret, partim ut merita illi sua, jam pridem ipsi à DEO destinata, haud interrupta præstaret atque continua. Græcæ cum primis literaturæ

C

adeo



adeò captus fuit amore ejusque Authores veteres æque ac recentiores nocturnâ diurnâque manu versavit, ut postmodum familiam hoc in studiorum genere, nemine refragante, duceret. In cæteris studiis eò perfectionis devenit, ut excellentissimus sui ævi Orator, Poëta & Mathematicus ab omnibus salutaretur. His itaque studiis cum juventutem Academicam undique ad se confluentem imbuere atque hóc pactò optimè de hac Acad. mereri coepisset, adeò ut neminem omninò ejus lateret eruditio, nil nisi promotio ad officia publ. deesse Nostro videbatur, quæ benè de Academia merendi studio, flagrantissimo licet, calcar adderet gloriamque conciliaret majorem. Primò itaque Poëseos, ad quam natus factusque videbatur tractandam, Anno 1595. Professio demandata ipsi est. Quam haud longo post, cum edecumata ipsius in Theologicis biblicisque eruditio omnes in admirationem raperet, Professio quoque Theol. & provincialis Consistorii Assessura excepit. Obtenta hæc officia, quibus ut majori Autoritate fungeretur, Doctoratus theol. honoribus & privilegiis, 1605. magistratus est, Lectionibus Academicis Disputationibus ut & variis scriptis infra recensendis adeò ornavit, ut solius hujus viri meritis hæc Acad. velut Hesperus cæteras inter stellas coruscaret, præsertim cum haud multi fortè alii Professorum Rostoch. majorem eò celebritatem consecuti fuerint. Audiamus de eo Viri meritorum gloriâ in Rostochiensem Acad. universamque Eccl. orthod. verè Magni, Dn. D. Februi, Patroni ac Præceptoris mei Parentis instar ad tumbam usque devenerandi, judicium in Orat. de studio Exeg. in Acad. Rost. semper exultor, ita habens: *Qui hoc (Lubini) nomen ignorat, ignorat propemodum ipsam eruditionem. Nec enim Rostochiensium Professorum quisquam apud exteros etiam, quam hic ipse, majorem celebritatem adeptus est. Ejus quippe Antiquarius & Fax poetica & Florilegium & Clavis lingue græcæ & Auctores illustrati, Horatii, Juvenalis, Persius, veterum Græcorum Epistolæ, & in superiore Germania & in Belgio & in Gallia, neque semel tantum, sed bis, sed ter, imò quinquies & sexies recusa conspiciuntur. Tanto tam hi libri habebantur in pretio, tantâ æstimatione. Qui honor, quantum mihi constet, nemini contigit à primis Acad. hujus natalibus.* Testatur præterea de Meritis Lubinianis Programmâ ipsius exeq. à Senatu Acad. Rost. 1621. propositum, Ubi inter alia dicitur studiosorum fuisse studiosissimus,



acutissimus, in rebus inventendis acer, in memorandis firmus & expeditus, in judicandis acutus: in Academia dignitate tuenda (quod ipsum quin- quies sustinendo Magnificum Rectorale munus, sc. Anno 1597. 1603. 1609. 1615. & cui immortuus est, 1621., ut & sapenumero Facultatum tum Phil. tum Theol. Decanatum gerendo abundè demonstravit) magnanimus, in dicenda veritate intrepidus, vir verè Aristocraticus. Cum febris quartana graviter decumberet in ipsis jam ultimi Rectoratus Academici primordiis, ita ut loco ipsius Jo. Baumeisterus, D. Medicus, in Auditorio maximo debita cum solennitate Academiae fasces ab Ex-Rectore suscipere debuerit, qui & demortuo Lubino in Rectoratu successit, ex orbe emigra- re iussus est, 2. Jun. 1621. Æt. Ann. 56. Plura desideranti satis- faciet *Progr. fun.* laudatum, à *Wittenio Memor. Theol.* Dec. III. p. 305. illatum. *Conf. & Ejusd. Diar. Biogr.* Tom. I. ad ann. 1621., *Freherus Theatr. Vir. Illust.* P. I, p. 410, & Summè *Rev. Dn. D. Quistor- pius Progr.* supra cit. ad h. a.

Consummatissima, quæ vulgavit Lubinus, scripta, sunt sequentia:

1. Antiquarius sive priscorum & minus usitatorum vocabulorum brevis & dilu- cida interpretatio, ordine alphabetico digesta. Amstel. 1594. Fcf. 1600. 1625. 8. Co- lon. 1629. 12.
2. Fax poetica, sive Genealogiæ & res præcipuè gestæ Decorum gene- tilium, Virorum illustrium, Regum græcorum & Cæsarum Rom., perpetuis Tabb. il- lustrata, Rost. 8. 1589. 1607. 1617.
3. Q. Horatius Flaccus accuratissimè emenda- tus & explicatus paraphrasi nova scholiasticâ. Rost. 1599. Francof. 1612. 4. 4.
- Carmina Anacreontis cum notis, Rost. 4. 1600.
5. Epistolæ Hippocratis, Democriti, Hera- cliti, Diogenis, Cratenii, aliorumque ad eosdem, Græcè simul ac Latine edita, 8. Heidelb. ex Officina Commeliana, 1601. & 1608.
6. Epistolæ Apollonii Tyanei, A- nacharctidis, Euripidis, Theani aliorumque ad eosdem, editæ Græcè simul ac Latine. 8. itidem ex off. Comm. eisd. ann.
7. Ecphrasis succincta & perspicua in *Juv. Juvénalis Libros Satyrarum.* Rost. 8. 1602.
8. in *Juvénalis & Persii Satyras, Hænoviz & Lugd.* 1603. 4.
9. Florilegium h. e. veterum Poëtarum Epigrammata græco: lati- na, ibid. 1603. 1604. 1615. 4.
10. Clavis græcæ linguæ, sive vocabula latino-græca, ibid. 1605. Lubec. 1612. 1620. Londini 1620. & emendata per D. P. ibid. 1629. 8. (vid. *Thome Hyde Catal. Bibl. Bodlej.* Oxon. 1647. fol. ed. p. 411. a.) Lipsi. 1630. 8. Lugdun- ni, 1644. 1648. Amstel. item 1681. & Norib. 1670. 12.
11. Phosphorus de prima causa & natura mali Tractatus hypermetaphysicus, in quo multorum gravissimæ dubi- tationes tolluntur & errores dereguntur. Rost. 8. & 12. 1596. 1600. 1601. Lugdun- ni 1644. Occasione hujus libri controversiam ipsi movit *Alb. Gravverus*, Theol. Jen. edito *Anti-Lubino*, cui verò respondit Noster in *Apologetico*, Rost. 1600. & 1605. 8. publicato. Cæterum vid. de hac contro- versia, de qua nostrum non est judicare, judicio- sissimus Dn. D. Grapius in dem *Evang. Rostoch. sup. cit.*
12. Tractatio Theol. de Causa peccati ad Theologos A. C. in Germania. Rost. 1607. 4.
13. Monotessaron. si-



ve Historia Evangelica de Jesu Christo ex 4. Evangelistis in tribus linguis, græca, latina & germ. in unum corpus redacta, Rost. 1609. 1640. 4. Francof. 1612. 4. addit *Lipensis in Bibl. real. phil.* ibidem 1682. denuo hunc librum excusum esse. 14. *Commentar.* in Epistolas Pauli Majores, Rost. 4. 1610. 15. Exercitationes Thicol. in Minores omnes sanctorum *J. C.* Apostolorum Pauli, Petri, Jacobi, Johannis & Jude Epistolas, Rost. 1610, Francof. 1611. 4. De quibus testatur prælaud. *Dn. D. Fechr. Oras. cit.*, quod omnes hodieque à veris Scripturarum indagatoribus magni ællimentur. 16. Quadrupartita Evangelica Historiz monas, sive 4. Evangelistarum, in qua singuli inconfusi & soli legi possunt, & rursus ex omnibus una universalis & continua historia ex tempore formari, cui utique tantum lucis accessit, ut lecturis *Commentar. rii* loco esse possit, Amstel. 1614. Rost. eod. 4. 17. *N. T.* Græco-latino-germ. (ut vel *Versionum* collatio interpretationis vicem, judice *Dn. D. Fechtio l. c.*, iustinare possit) In cuius nova editione accessit *Consilium* de latina lingua compendiosè addiscedenda, laudatum à *Cel. Tentzelio* in *Coll. Menstr.* Anno 1693. p. 271. Rost. 1615. 1611. 4. 18. De Veritate Relig. Christ. ex libro *Phil. Mornet*, Rost. 4. 1602. 19. De Primatu & potestate Rom. Pontificis, *Disp. inaug. D. Barth. Krakevitzii* 1607. 10. De *Justificacione* contra *Pontiff.* 1608. 21. De Conversione mulieris peccatricis ex *Lue. VII.* quod charitas non sit causa, sed effectus remissionis peccatorum, *Disputatio* 22. *Memorie Principis Caroli*, Ducis Megap., in Ejus funere recitata oratio, Rost. 1610. 4. 23. Utrum potior sit Ecclesie an Script. Autoritas? ibid. 1613. 24. De Exorcismo, 1613. 25. De Peccato, 1613. 26. De fidei ac salutis fundamento, an illud Calviniani factum testumque retineant, ita ut inter illos & *Luth.* super illo sit consensus? 1617. 27. De verbis, quæ administrationi Baptismi apud nos præmitti solent & vulgò Exorcismus vocantur. 1617. 28. *Declamationes Satyricæ* tres in hujus Seculi maledictos, *Academiæ pestes & malitiam* impune grassantem. 1613. 1619. 8. 29. In *Cerberum* *Jesuitarum* tori mundo formidabilem *Carmen*, in *Festio Jus-bilei Universitatis* tertii, in *Acad. Rost.* recitatum, Rost. 1619. 4. ipsique *Jubilæo* poslea una cum aliis insertum.

## JOHANNES CHRISTOPHORUS OTTONIS.

Quo præcisè anno in Osnabrugensium urbe editus in hanc lucem fuerit, curriculo vitæ ipsius, quo, quamvis non paucis huc illucve ad Viros eruditos exaratis literis, potiri haud licuit, destitutus referre nequeo. Quem tamen defectum in *Tract. de Westphalia erudita B. C. D.* progressu temporis edendo, resarcire adlaborabo. Quod Professor Theologus in hac. *Acad.* inde ab Anno 1657. usque ad 1663. (quo ipso notante *Magnif. Dn. D. Quistorp* nostro in *Programm.* sæpius cit. ad A. 1663. *Stadam*, Pastor ibidem ad *Cosm. & Dam.* ut & *Consistorii Assessor* futurus abiit) adeoque per decennium fere certissimum est. Neque de Meritis ejus in hanc *Academiæ* dubitare nos sinunt Scripta ut & *Collegia publica* privataque maximo cum applausu hic loci habita.



bita. Quorum quadam à semet excepta benevolè mecum communicavit Vir Plur. Rev. *Dn. Job. Lüningsius*, Pastor Grubenhagensium maximè meritis, Fautor meus longè æstumatissimus.

Suntque sequentia:

1. Collegium Homil. in Evangelia Dom. & Feil. hab. 1660. 2. Coll. Theologicos Scholasticum, in quo singulis hebdom. disputatum privatim fuit. 1659. 3. Coll. in F. C. in quo idem dictata ventilata sunt. 1658. 4. Coll. Disp. in Theses Theol. Chemn. à *Balt. Mentzero* congestas ac Rostochii impressas. Addidit præterea laudatus *Dn. Lüningsius*, longe plura habita ab eo Collegia fuisse, quibus interesse sibi non licuerit. Scripta ab eo publicata seqq. mihi innotuerunt, quæ maximam partem ejusdem *Dn. Lüningsii* communicationi accepta refero: 1. Disp. de Ideis increatis. 1613. 2. De Ubietate transcendentali. 1653. 3. De Monarchia Eccles. ad Matth. XVI. inaug. M. Jo. Lud. Rhuelen. 1659. 4. De Gemitu creaturæ non intelligentis. 1661. 5. De fide infantum. 1659. 6. De intercessione perpetua. 1659. 7. Tres Disp. de Verbo, Deo. 1657. 8. De Notis Ecclesiæ. 1656. 10. Disp. inaug. de Agno mactato ab origine mundi. Apoc. XIII. 8. Præf. D. *Abr. Batte* hab. Gryph. 1651. 10. De Hæresi Donatistarum. 1659. 11. Disp. in omnes A. C. Articulos privatum habita &c.

## JACOBUS DÜRFELDIUS

Addendus Theologus ultimo loco videtur. Publica enim Professione quantumlibet functus in hac Acad. non fuerit; Vir tamen omninò fuit in studiis Theoll. præcipuè polemicis versatissimus tantanque laudem ob magna in Acad. hanc merita consecutus, ut FCras Theol., cujus tum temporis membrum fuerat *Βιβλικώτατος* iste (ut Magno *Fechtio* audit) Theologus, *D. Jo. Quistorpius* I. Professioni qui præficeretur, cum judicaret dignissimum. Quod verò eandem consecutus haud fuerit, ea in re facta eruditorum in Germania (ut loqui placet *Tenzelio* in *Coll. Mensl.* 1629. p. 307.) expertus est. Situs est in Osnabrugensi Episcopatu pagus Dioeceseos Menslage, *elsin Mümlage* dictus, in eoque villa hæreditaria (vulgo *ein Erbs. Hoff*) nullà servitute onerata, *Dorrsfeld* appellata, quæ ipsa natales Nostro dedit die Jacobo Apost. sacro, 1591. Patre *Job. Dorrsfeld*, hæreditario in dicta villa & Ecclesiæ Menslagiensis Antistite, ipsius villæ nomen, quod patrii moris est, sortito, matre verò Anna von der *Mainsborst*. Ob corporis constitutionem infirmiore & discendi, quâ jam inde à pueritia flagraverat, cupiditatem, studiis sectandis quam



alii vitæ generi aptior à parentibus judicatus, annum jam agens 15. ad Osnabr. Scholam ablegatus est. Quam adeò assiduus visitavit, ut quatuor annis, quemadmodum loquuntur, absolveret, testimonio admodum honorifico à Rectore *Jod. Kirchovio*, communicato mihi ab Ampliss. & Præcell. Viro, *Dn. M. Jacobo Dürfeldio, B. Nostri Filio*, Gymn. Gultrov. Con-Rect. meritiss., Fautore meo colendissimo, (quod unà cum aliis in *Tract. de Westph. erudita juris faciam publici*) dimissus. Cum postea in Stadeni, Brementensi Hamburgensiqve Gymnasiis aliquamdiu summa cum laude commoratus fuisset, 1614. Giessensem Acad. adiit, in qua maximà diligentia literis operatus est. Id ipsum publicæ inter alia Dispp. sub quolibet Professorum Theol. hab. testantur, quarum una sub Præsidio Giseniano videri potest Tom. IV. Dispp. Giess. n. 9. p. 124., ut & quod haud longo post Doctoratus phil. auctus honoribus, legendo ac docendo famam sibi pararit haud poenitendam. Quà de causa ab Acad. Giess. testimonio denuò instructus, (quod pariter ex benevola laudati M. Dürfeldii communicatione possideo) Rinteliensem noviter erectam Acad. 1621. visitavit. Et postquam Con-Rectoratu Oldenburg., quem hactenus usque ad ann. 22. sustinuerat *M. Meno Hannekenius*, Theologus postea Doctor celeb., biennio functus esset, 1624. Rostochiensem Acad. ingressus, confestim de ea mereri quam optimè cœpit, immortaliter de ea meriturus, si per fata, quam merebatur, Professione publ. potiri licuisset. Meritorum Dürfeldii testes laude meâ majores produco ipsos Theologos Rostoch., qui ità inter alia in Test. publ. 1628. ipsi dato: *M. Jac. Dürfeld*, cum per septennium in Giessensi, per annum in Rintelensi & biennium in Schola Oldenb. juventutem, ut testimonia decent, fideliter informasset, antetriennum & quod excurrit, in nostram Acad. pedem intulit inque honorum notitiam & familiaritatem penetravit. - - Cum ejus id mereretur eruditio, nonnemo ex professorio ordine eum Regiæ Maj. Suer. commendavit dignissimumque censuit, cui Professio Theol. in Upsal. Acad. concederetur. Qui sunt à Collegio Professorum Senatus hujus urbis eum inter hos numerarunt, ex quibus Affelmanno p. m. successor eligeretur. Ampliss. etiam Senatus cum Pastoratus apud nos vaceret ad D. Jac., eum inter hos retulit; à quibus per suffragia Ecclesiæ Pastor eligeretur. - - Ne verò ab aliorum sententia pendere videaris, quisquis es, age excute hominem Gilla, qua vulgavit, scrip-  
pta,



pta, ut: *Normam, &c. considera.* Hæc itaque & longe adhuc plurimum de *Dürfeldio* nostro Theologi Rostoch. Cum ab Anno 1628. Lemgov. Gymn. Con-Rectoratum ad annum usque 1637. sustinisset, Rectoratu Gymn. Osnabr. donatus est. Quo in officio scripta in lucem edidit raram eruditionem testantia quam plurima, ex quibus cum illud, quod *Fundamentum fidei christi. cum ejus solida defensione* inscripserat, Comiti Oxenstirn & Adlero Salvo, Oratoribus Suecicis dedicasset, hi ingenium viri admirati, Professionem Theol. in Regia Acad. Upsal. ultrò obtulerunt, quam licet lubens acceptasset, ob uxorem tamen, cui displicebat in peregrinas regiones profectio, eam modestè declinavit. Per reliquum itaque vitæ tempus in patriis permansit oris & Rectoratui suo immortuus est Anno 1657. 31. Aug. Æt. 66.

Scripta *Dürfeldii* nostri sunt sequentia:

1. Disps. theol. complectens Theses de Ecclesia Christi vera & falsa Anti-Christi, sub Præf. D. Stegmanni hab. Rintel. 1621. 2. Norma invocationis div. ibid. 1625. 3. Perseverantia sanctorum Christiana, contra Lud. Crocium. Rost. 1625. 8. 4. Nova consideratio considerationis Johannis Crocii, de dissensu Calvinistarum in fundam. fidei, causa peccati, fractione panis, &c. Rost. 1626. 8. Qui duo libri quantopere Magno *Quistorpia*, Patri, aliisque Theologis placuerint, honorificæ admodum acclamationes & judicia libris præfixa abundè testantur. 5. Rogatu Theoll. Rost. conscripsit librum de Quæstionibus nonnullis, Articulos de lib. arb. & baptismo concernentibus, quibus intimator (*D. Ampsingius, Prof. Med.*) quidam ab A. C. discessum fecerat, atque Arminiana ac Calv. dogmata fovere conatus fuerat. Cumque opponeret Nostro *Ampsingius Nasurtium* (2.) *Antidorum* Nasurtio addidit; & denique cum Antagonista ederet Aquilam celestem s. Draconem, *Dürfeldius* (3.) opposuit Triumphum suum de aquila & piceas placentas in os Draconis injectas. Rost. 3. 1628. 6. Comm. in Canticum, Rintellii, 1633. 7. Myseriologia Regni Christi ex Dan. aliisque Prophetis & Apocal. Rint. 4. 1639. 8. Discursus theol. de duobus illis veritatis testibus, Apoc. XI, descriptis. Rost. 4. 1639. 9. Discursus theol. de Q. Num. pax secularis ante mundi consummationem judiciumque univ. sit reducenda? ibid. 4. 1642. 10. Diss. theol. de fund. fidei christi. cum ejus solida defensione c. Monachos & præcipuè c. illustrationem Castell. Jo. Crocii, ibid. 4. 1648. 11. Contra *Bernhardum Löperum*, Jesuitam, 1652. Lutheranos non habere legitimam vocationem, calumniantem. Rogatu Verbi Ministrorum Osnabr. edidit Noster (1.) eine Mißive, sub nomine Chr. von Gelsen (2.) wahre Catholische Erklärung, & denique (3.) Abfegung der Löperischen Spinneweb von den Wänden und Fenstern des Hauses Gottes; eod. anno. 12. Biga Disps. in Ep. ad Ebr. Rint. 1648. 4. 13. Examen Exegeleos A. C. Aitingii ineditum, 14. Scala Jacobæ c. Monast. Pontificios, pariter inedita. 15. In Gymn. varias edidit Disps., Logicam item & Politicam, ut ex prælaud. *Dn. M. Dürfeldii* datis ad me literis certior factus sum; cui publice nunc pro sua in me benevolentia, curriculum præfestim vitæ B. Parentis sui communicato, præstita, maximas persolvo gratias.

## SECTIO II



## SECTIO II.

delineans

## MERITA JURISCONSULTORUM.

**I**nter Jctos Westphalos, quorum hodieque merita celebrat Acad. Rost., & ætate, & Alphabeti serie, & munerum dignitate primum sibi locum jure quodam vindicat]

## ERNESTUS COTHMANNUS,

Patriâ Lemgovienſis, qui de Majoribus ſibi gratulari potuit patriâ & conſulari dignitate per integra ſecula maximè conſpicuis. Patre enim *Died. Cothmanno*, Lemgov. Reip. Conſule, matre *Catharina Grotenia*, *Died. Groten*, ejusdem Reip. Coſ. filia & *Alex. Groten*, pariter Coſ. patrii purioriſque Religionis, quæ firmam hodie ſedem in urbe iſthac fixit, primi, poſt nuditatis papifticæ detectionem inſtauratoris & reformatoris feliciffimi, nepte, 6. Dec. 1557. in hanc mundi lucem editus eſt. Ad veram pietatem jam adſuefactum parens 1565. in Gymnaſium id temporis florentiſſ. Dülſſeldorpiæ primo ablegavit. Ubi cum humaniora, ut vocant, probè excoluiſſet, Academiam Juliam, tum quoque Marpurgenſem adiit. In quibus utriqve Juri totus mancipatus, ductu Præceptorum tanto cum ſucceſſu ei invigilavit, ut maturâ adhuc ætate myſtis primoribus ſummâ cum laude adnumeraretur. Motus iis filii in ſtudiis progreſſibus parens Roſtoch. eundem Academiæ fieri civem voluit, neſcius tantam adhuc meritorum famam in hac ipſa conſecuturum eum eſſe, quæ, ut alios jura doceret, ipſi licet juveni adhuc permiſit atque ad ſummos in utroque jure honores merito ſuo capeſſendos invitavit. In Doctorem Promotore *D. Henr. Camerario* promotus, merita ſua, quam ante, majori voluptate Roſtochienſi Academiæ conſecrare cœpit, Scholas juridicas eo cum applauſu tantoque Studioſorum confluxu aperiens, ut auditorium vix caperet audientes. Hinc loqui merita Cothmanniana potuerant erudiſſimi viri, qui ex Scholis ipſius egreſſi, de variis Principum aulis urbiumque gubernaculis non ſine magna ſui fama promeriti fuerunt. Quæ & ipſa in Academiam merita effecerunt, ut 1587. ab *Udalrico*, Duce Megap. in numerum non ſolum Conſiliariorum adſcitus, atque Aeſſor ſimul judicii

Mc-



Megap. secul. & Eccles. constitutus; sed & 1595. in Collegium Ducale Jurium Professor in hac Academia cooptatus fuerit. Quod munus postremum eò libentius sibi imponi passus fuerat, quo majori flagraverat cupiditate, merita sua in Academiam hanc, quorum jam ante fecerat initium felicissimum, continuandi. Quod & tantâ solertiâ præstitit, ut à Collegio Juridico in Progr. fun. *Academiae decus singulare & litteratorum Princeps* fuerit appellatus. Animus fortasse Nostro fuerat, ad finem usque vitæ merita sua soli Academiae Collegiis publicis privatisque ut & Dispp. consecrare; sed cum jam ante à consiliis esset Duci Megap., atque hic videret, quantâ dexteritate quantâque prudentiâ commoda totius Provinciae promoveret, ad Cancellarii munus 1610. à Duce Jo. Alberro, invitatus licet, evehctus est. Neque tamen, aulicis defungens officiis, studium benè de Academia merendi deposuit, quin quoties negotia postularunt aulica Nostrum, per Doctorem quendam Juris privatum Lectiones publicas suo sumptu ordinariè haberi curavit. Academiam, ad sceptrum ejus tenenda vocatus, (quod factum quinquies, scil. 1598. 1604. 1610. 1616. & 1622.) vel ipse, vel, negotiis impeditus, per Pro-Rectorem gubernavit. Officio similiter Decanatus, quoties ad eum devolutum illud est, promptè satisfecit, nec rarò, quamvis per aulica, uti dictum, negotia, difficulter id liceret, Disputationes publicas habuit. Herculeis tandem, quibus occupatus semper fuerat, laboribus defatigatus, præsentibus filio *Friderico*, J. V. D. & fratre *Johanne*, Consiliario Megap. & suo in Cancellariatus postea munere successore (de cujus meritis nostrum non est h. l. agere) placidè obdormivit, 13. Apr. 1624. (qui ipse annus Magno quoque *Affelmanno*, de quo supra Sect. I. n. 1., emortalis fuit) æt. 67. Fusius & prolixius vita *Cothmanni* descripta est in Program. *Fac. Jurid. in obitum ejus publ.*, quod legere est apud *Witten. in Mem. J.ctorum renovatis*, Dec. I. p. 94. f. vid. idem in *Diar. biogr. Tom. I. ad Ann. 1624. Freherus in Theatro P. II. p. 1039. f. Cl. Frid. Thomas in Catal. Biogr. Analektis Gustraviensibus, nuper ab ipso editis, annexo, p. 79. 80.*

Scripta Illustris *Cothmanni* sunt sequentia:

1. Responsa Juris sive Consilia V. Voluminibus comprehensa. Francof. 1597. 1615. 1662. fol.
2. Responsorum Juris & Consultationum Acad. liber singularis, ib. 1613. fol.
3. Disputationes Juris civ. Witteb. 12. & 8. 1590.
4. Disp. juridicæ. Lemgov. 4. 1687.

D



1687. 5. Comment. in primum librum Cod. Just. Francof. 4. 1616. 6. Institutiones imperiales Justinianæ ad Compend. redactæ. Rost. 12. 1618. 1625. 7. Meditationes piæ de remediis adversus calamitates, pressuras atque calumnias & de inimicis diligendis, excerptæ ex S. Augustino & in ordinem redactæ. Rost. 1614. 4. 8. *Seine gottselige Betrachtung etlicher wolbewährten geistl. Recepten, derer sich ein frommer Christ im lieben Creuz mag gebrauchen.* Stettin. 1615. 8. 9. Consolatio sui ipsius in funere filii secundogeniti, Diedefici, 1605. mortui, Rost. eod. ann.

## THOMAS LINDEMANNUS,

Lucem vitalem aspexit Hervordiæ, urbe Comitatus Ravensburg. eâ adhuc tempestate *imperiali*, pridie Festi Mich. 1575. Patre *Henrico Lindemanno*, matre *Anna Kirchovia*. Scholam patriam frequentare jussus, tantos in illa brevi tempore in humanioribus fecit progressus, ut 1592. æt. 17. ad Acad. Rost. cum laude ablegari potuerit. In qua, cum philosophicas lectiones auscultasset, animum ad Juris studium adplicuit. Sumptibus verò non suppetentibus, præcipuorum virorum liberis erudiendis præfectus, Anno 1596. cum *Bernh. & Henr. Wedenhofis*, Argentinensem Acad. invisit, triennioque ibidem laudabiliter exacto in Brisgoam, dehinc Galliam & Italiam cum prædictis commilitonibus suis excurrrens, quævis notatu digna peculiari in Itinerario consignavit. Ex peregrinatione hac redux, salutatis primum in Westphalia Suis, ad primam studiorum suorum nutriculum, Academiam hanc merita ejus jam expectantem se retulit. Cum ejus & Virtus & inusitata animi dotes obscuræ nemini essent, 1605. Professio juridica delata ipsi est, eodem anno & Doctor salutatus & in Concilium atque Facultatem adscitus. Officio sic professorio ornatus, nihil prius & antiquius, quam ut de Academia, hac ipsa benè mereretur, ipsi fuit. Assiduus hinc lectionibus, Disputationibus scriptisque tantam meritorum famam consecutus est, atque tantoperè rotam sibi Academiam per integros 27. annos devinxit, ut eo defuncto, Themidos fulcrum insigne atq; Ornamantum Academiae maximum cecidisse, jure dici posset. Et non solum *Academia Senatus in Progr. juv. 1631. pietatis, candoris, eloquentia & industria laudè nemini eum inferiorem fuisse dixit*, sed & *D. Jo. Quistorpio I. Vir eruditionis, facundie, in judicando dexteritatis laude insignis & in rebus expediendis felicitate nemini secundus* (quod judicium in *Mairii. Acad. Rost.* legere licuit) habitus fuit. Neque de sola



la Fac. Jurid., Decanatum ejus gerendo, sed de universa pariter Academia, cujus Rectoratum summâ cum laude octies sustinuit, scil. 1607. 1613. 1616. 1619. 1622. 1625. 1628. & 1632., longè maximè meritis Noster est. Tantorum, quæ indies Rost. Academiae præstabat, meritorum fama exterorum jam Principum intraverat aulas, unde ad Consilia à non paucis sapiusculè adscisceretur. Quamvis verò ab Archi-Episcopo Bremensi, Duce Megap., Duce Lüneb., Principibus vidd. Croviacensi & Loizenfi inter Consiliarios fuerit numeratus, à Rep. insuper Rost. Syndicatus dignitate ornatus, quæ omnia officia professorium munus planè sufflaminare videbantur; adeò tamen studium de Academia bene merendi abjecit aut deposuit nunquam, ut merita eidem sua, quæ primum publicè profitendi ac docendi obtulerat munus, ad extremum vitæ halitum consecraverit, plura procul dubio præstiturus, si plures annos per divinam benignitatem numerare Nostro contigisset. Sed morte inopinâ, annum agens 57, ipsaque Sceptra Academica octavum tenens, raptus, finem imponere in Academiam nostram meritis, nullâ unquam mortalium memoriâ oblitterandis, jussus est.

Haud vulgaria eruditionis Specimina, quæ reliquit, sequentia sunt:

1. Exercitationes Juris, Rostoch. 1618. fol.
2. Exercitationes feudales, Rost. 1622. 4.
3. Exercitationes Justinianæ, Rost. 1625. 8.
4. Exegesis Synoptica Enchiridii Pomoniani, ibid. 1627. 8. 5. Disp. de Jurisdictione. 1629. 6. de Academiis earumque immunitatibus ac privilegiis. 1621. 7. de Officio Boni Principis Oratio parentalis, manibus piis *Udalrici*, Ducis Megapol. consecrata. Rost. 4. 1621.

## HENRICUS RUDOLPHUS REDEKERUS,

Illustri Redekerianæ Gentis (de qua ita Magnus *Fechti* noster in Progr. fun. *J. C. Hausvvedelii*, 1702: *cujus quanta sint etiam nunc in Remp. nostram cum civilem tum literariam merita, nemo nisi rerum nostrarum expertus ignorat*) primus in Ducatu Megap. quasi sator, Osnabrugæ, urbi Westphalorum splendidissimæ ac ob Instrumentum pacis inter Ferdinandum III. Imp. & Sueciæ Regnum ibidem sancitæ famigeratissimæ, natales suos acceptos refert, 1625. 14. Sept. Parente *Christoph. Redekero*, cive primario, ac matre *Cath. Landwehrs* prognatus. In Schola primum patria cum rariorem diligentiam & industriam luculentis subinde speciminibus bonis omni-



omnibus probasset, ad Hannoveranam ablegatus est. In qua non optimâ solum indole ingenioque acutissimo propositis rebus quibuscunque capiendis apprimè apto, sed & inusitata modestia Præceptoribus adeò se commendavit, ut non possent nisi tenerrimo *Redekerum* suum affectu complecti. factis solidioribus studiorum fundamentis atque ad altiora sic satis preparato pectore suasu propinquorum ad Academiam hanc Varniacam, quæ meritis ejusdem clarior ac illustrior reddenda erat, 1647. æt. 21. sese contulit. In qua ipsa spectatorem inanem haud egit, sed diurnâ nocturnâque manu libros versando ad elegantiorum eruditionem summo contendit ardore, non ignarus, assiduo scientiam labore meritorumque famam parari. Laudatissimæ ejus diligentia testimonium præbet luculentissimum, quam, per anni spatium hic commoratus proprio Marte de *Fidejussoribus* elaboratam Præsides *D. Joach. Schnobelio* censuris publ. subjecit, Disp. elegantissima. Quo facto permotus illustris *Job. Corbmannus*, Cancell. Mekl. filio suo *Ernesto*, juris studio eâ tempestate in hac ipsa Academia litanti, *Redekerum* nostrum commilitonem & contubernalem adjunxit. Sed & biennio post filio unico ephorum elegit R. M. Suec. Gubernator Wismariensis. Quanto verò affectu Facultas Jurid. ob solidam scientiam profecuta Nostrum fuerit, vel inde patescit, quod Studiosos in iuribus instituendi potestatem ipsi fecerit. Ut adeò in ipsis juventutis annis & legendo & disputando optimè de Acad. meritis sit. Ne verò exteros lateret magna *Redekeri* eruditio, Marpurgensi, Gießensi Heidelbergensi que lustratis Academiis ad Argentinensem quoque se convertit. Ubi cum per tres menses substitisset, à Sereniss. Principe, Comite Nassovico Saræpont. ad ephoriam Filii *Ludovici Friderici* vocatus est. Quam spartam priusquam susceperet, Doctoris gradum à Fac. Jurid. modestè petiit. A qua & in tentamine pariter, ceu vocant, ac rigoroso examine, imo & in elaboratione duorum Textuum Juris Civ. & Canon. tam solidâ imbutus scientiâ juridicâ, qualem haud sperassent, deprehensus fuit. Postmodum & Ann. 1654. Disputationem inaug. sine Præsides, ut ibi moris est, habendo summam promeritus laudem fuit. In ipso itinere, quod cum fidei suæ commisso Seren. juventutis Principe ingredi jussus erat, in vicinam sibi Galliam, constitu-

ty!



tus, cum 1655. Doctor Argentorati renunciatus esset, ad Professionem jurid., quæ fuerat D. Schnobelii, à Senatu Rostochien-  
 ensi vocatus est. Quapropter per aliquot saltem menses in Gal-  
 lia commoratus, perque Brabantiam, Flandriam, Hoilandiam  
 aliasque provincias Rostochium reversus Professoriâ spartâ su-  
 sceptâ publicum docendi munus aggressus est. Quantò verò  
 opere de Academia hac nostra meritis fuerit à primis inde Pro-  
 fessionis suæ initiis ad finem usque vitæ, D. Jac. Lembkenii verbis  
 ex Programm. funebri repetitis, quam meis, eloqui præstat.  
 Ità verò ille: *Docendi disputandique molestias magno animi prolabio  
 subiit non solum, sed & forti pectore tantâque sedulitate sustinuit, ut si æqui  
 rerum aestimatores adsint, meritissimo jure suo vel maximis ob id encomiis  
 dignus sit, sibi que de plurimis talibusque etiam discipulis, quæ partim in  
 hac nostra aliisque Academiis, partim etiam in variarum civitatum curiis,  
 quin Principum quoque & Electorum Regumque aulis ad splendidissima offi-  
 cia proventi, Reip. utiliter intersunt, habeat gratulari.* Et rursus: *Ità  
 de Academia, de s prudentia, de politiore literatura studiosaque juvenute  
 meritis Noster est, ut si quis hoc in capite vel minimum memorie ipsius de-  
 bitisque laudibus detractum cuperet, in ipsam Academiam, in ipsa jura le-  
 gesque, imo in ipsas literas ac juventutem Academicam injurius videretur.*  
 Tantorum in Academiam Rostoch. meritorum famâ Illustrem  
 Redekerum nostrum illustres etiam honorum Tituli consequen-  
 tur. Non enim solum 1662. ex Collegio Senatorio in Ducale à  
 Sereniss. Duce Christiano Ludovico translatus, sed & insuper Con-  
 sistorii Consiliarius constitutus, imo & cum in publicis legatio-  
 nibus arduisque negotiis aliis Principi industriam, fidem & dex-  
 teritatem sapissimè probasset, in numerum Consiliariorum  
 Aulicorum & Ann. 1677. Intimorum ac Status Consiliariorum  
 receptus est. Ne dicam, quod & Regi Daniæ aliquot per an-  
 nos à Consiliis fuerit & jussu ejusdem ad Comititia circularia  
 Brunsvigæ 1673. celebrata iverit; illud duntaxat, quod ad meri-  
 ta huic Academiae præstita pertinet, persequar. Rectorale mu-  
 nus magnificum sexies, Annis 1660. 1666. 1673. 1675. 1676. 1679.  
 sustinuit. Præterea & Decanali munere fungens merita sua in  
 Academiam multiplicavit. Quo nomine in Progr. jam cit. se-  
 quenti tractatur elogio à D. Lembkenio: *In negotiis expediendis Redekerus erat expeditissimus, in causis perorandis eloquentissimus, in consul-*



tando prudentissimus, in docendo facillimus, in jure interpretando peritissimus, in disputando accerimus, versatilleque adeo ad omnia pariter ingenium habebat, ut ad id unum, quodcumque ageret, natus factusque videretur. Vitam domesticam quod concernit, in triplici vixit Conjugio, quorum primum duntaxat memorandum nobis est. Inverat illud cum virgine Prænobilissima, *Margaretha Schützia, Davidis Schützi*, Ducis Mecl. Quæstoris & Capitanei Suanensis filia, Anno 1655., sed solutum est Anno 1661. Quo ex Conjugio suscepit præter filias binas filium unicum, ut paterni nominis sic paternarum quoque Virtutum hæredem exactissimum, Virum hodie Illustrem ac Excellentissimum, *Dn. Henr. Rud. Redekerum*, Sereniss. Ducis Mecl. Consiliarium Aulicum splendidissimum, hæreditarium Dominum in *Portrâmb/ Scharsdorff/ &c.* Vitæ finis Redekero Nostro contigit 1680. 23. Dec. annum Æt. agenti 55., ob summam Acad. & totam Provinciam Megap. merita Nestoreos vivere dies omnino dignissimo. Testabuntur id inter reliquias ejus sequentia, quæ mihi innotuere, edecumata eruditionis scripta:

1. Examen Institutionum, Rost. - 2. Diss. de Fidejussoribus, Præf. D. Joach. Schnobelio hab. Rost. 1648. 3. Diss. inaug. de Gratia, Argentorati 1654. 4. De Curatoribus publicis, Rost. 1662. inaug. Kochii. - 5. De Quæstionibus & Tortura, 1680. inaug. Amselij. 6. De Jure cello, 1676. inaug. Ferberi. 7. De Actu judiciali extremo 1672. plurimæque aliæ. Ineditos præterea B. Parentis sui Commentarios in Cod. & Pandectas à se asservari indicavit mihi Illustris Dn. Conciliar. Redekerus, Mæcenas omni honoris cultu æternum mihi prosequendus.

### CHRISTOPHORUS REDEKERUS,

Idem natale solum cum præcedente, Patruo quippe suo, agnovit. Osnabrugæ enim 1652. Patre *Gerh. Redekero*, matre *Anna von Unckum* natus est. Prima ætas cum in Patria formata esset, Anno æt. 10. ab illustri *Dn. Henr. Rud. Redekero*, jam laudato, ad hanc Acad. vocatus filiique loco ab eo habitus, Scholæ Sen. Collegis commissus fuit. Anno 1668. Sedinum ablegatus est, ubi summa cum laude Præf. *L. Ammonio* de Ethicis principiis disputavit, 1670. Ad Patrum reversus ad studium juridicum ejusdem ex consilio animi adplicuit, informatione usus fidelissima partim ipsius ejusdem, partim *D. Casp. Habermanni*. Sub quorum ductu tantum profecerat, ut magno cum fructu exterorum terras visitare potuerit, Adiit primò  
Novio.



Noviomagum, dein Lugdunum, ubi Böckelmanno, J.C. excell. usus est familiarissimè. Postquam & alias Batavorum urbes visitasset, in Angliam excurrit, ejusdemque regiam imprimis sedem, Oxoniensemque & Cantabrigiensem Academiis non sine eximio fructu invisit. Ex Anglia in Galliam trajiciens, Lutetiæ Parisiorum per annum commoratus est. Cumque Aureliam pluresque Gallicanas urbes usurpasset, 1681. in Italiam cursum direxerat, sed tristissimum de Patru obitu nuntium domum retraxit. Quapropter Rostochium 1682. reversus, de honoribus, quos dudum meruerat, Doctoralibus cogitare cœpit, adiitque ea de causa Gryphiswaldiam, ubi confestim, prægressi tentamine, examine item rigoroso lectionibusque (quas vocant) cursoriis, Disputationem Inaug. Præl. D. Fried. Gerdesio, disquirens in ea: *An Princeps legibus sit alligatus?* ventilavit. Quæ cum laude Doctorumque applausu exantlata specimina cum Aulam Mecklenb. intrassent, Redekero Nostro à Seren. Duce, *Gustavo Adolpho*, gl. m., eruditorum Patrono maximo, Professio Codicis & Consistorii Assesura clementissimè demandatæ sunt; quæ officia 29. Mart. 1683. præviâ Oratione inaugurali lubens suscepit tantæque solertiâ administravit, ut meritis suis suo tempore Academiam multò reddiderit illustriorem. Equidem mens Nostro federat, per omne vitæ tempus Rostochiensi Academiæ merita sua assiduis eruditissimisque laboribus, ex quibus maxima meritorum fama dependet, consecrare; sed aliud voluit divina Providentia, quæ eum Consulem Reip. Rostoch. 1693. 7. Mart. præfecit. Quam laudabiliter & huic spartæ præfuerit, quantam in consiliis prudentiam fidemque demonstraverit, Collegæ ejus ex parte adhuc viventes loquantur. Quanta verò humanitate & comitate omnium favorem iniverit, ipsius urbis incolæ luctu acerbissimo funus ejus prosequentes testati sunt. Sed neque multò diuturnior Consulatus munere professorio fuit, siquidem 1704. 15. Jan. Annis 51. & 3. mensibus exactis, ad gaudia cœlestia evocatus mundo valedixit. Præter Programma in funere ipsius 1704. à Magnif. Dn. D. Quistorpio, t. t. Acad. Rect. publicatum, vitam ejus descripsit Acad. hujus haud pridem Senior Celeb. Theol. nunc B. D. A. D. *Habuborsius in Rostochio Literato*, Class. II. n. 1. p. 196. ff. Per id autem temporis, quod Academiæ inserviit, sequentia promulgavit scripta:

I. Diss.



1. Diss. de Comitibus eorumque Juribus, 1684. 2. De Venatione ejusque joribus, 1685. 3. De Decimis Laicorum in terris Protestantium, in aug. Zesterflethij, 1691. 4. De Fictione Juris civilis, 1691. 5. De Feudis VI. Dissp. successive editæ. Plura edere impositus ei urbis Consulatus haud permisit. Id tamen ab Ampl. Dn. Præside meo relatum mihi est, vidisse se *Historiam Mecklenburgensem* abs illo collectam duobus constantem voluminibus in fol., cui Annalium Mecklenb. Titulum B. Vir daturus fuisset, cujus tamen editionem vix sperare licet.

## HENRICUS SCHUCKMANNUS.

Est hic ipse, cui originem suam in Meclenb. Ducatu acceptam fert fulgidissima hodie in eo *Schuckmanniana Gens*, cujus de Meritis egregiis in Ducatum Mecl. Commentationem Literariam superiori anno Præcell. Dn. Præsides meus publicavit. Qui cum fusè satis & prolixè Schuckmannorum persecutus sit vitas, pauca inde excerpere mihi licebit. Natus est *Henr. Schuckmannus* Osnabrugæ 25. Julii, 1582., Patre quidem *Herm. Schuckmanno*, matre verò *Anna Flörkenia*. Cum in Scholis patria, Lemgov. & Mindensi solida jecisset studiorum fundamenta, Rostochiensem Acad. 1605. æt. 23. adiit. Atque in hac ipsa adeò invigilavit Phil. & Juris studio, ut sexennio exacto Doctoris gradus oblatus ultro ipsi fuerit. Quem verò, cum animus ipsi esset alias prius visitare Academias, recusavit, Heidelbergæ verò 1614. postquam Argent. & Tubingensem Academias ante salutaverat, Spiramque, in judicio Camerali operam juris praxi daturus, concesserat, conferri sibi passus est. Rostochium postmodum reversus, in Ordinariorum supremi, quod tum Sternebergæ florebat, Aulici ac Provincialis judicii Advocatorum numerum receptus est. Quo in officio cum admodum sese exhiberet prudentem pariter atque justitiæ amantem, in ipsum judicium evectus eique Assessor constitutus est. Jussu Principis *Johannis Alberti* 1633. Professionem Codicis in Acad. Rost. & Assessoriam in Consistorio Ecclesiast., accedente insuper Consilarii Intimi Ducalis munere & dignitate, suscepit. Quibus officiis licet gravissimis dexterrimè satisfecit. Præterquam enim, quod pro Principis, pro Aulæ, pro Ecclesiarum proque subditorum commodis vigilandum ipsi esset, Academicis laboribus nunquam defuit, ac præter egregias Dissp., publico in Auditorio frequentissimè habitas, lectionibus etiam publ. privatisque, præ-



praesertim practiciis, in quibus à tempore bene multo versatissimus erat, studia Auditorum juvit & promovit, hoc ipso de tota Academia praclarissime meritus. Rectoratus officium sustinendo quinquies, scil. Anno 1634. 1640. 1642. 1645. 1654., Decanatus vero pluries, ad commodum Academiae promovendum semper intentus fuit. Neque hisce solum in hanc Academiam meritis contentus fuit, quin plura eidem & fortè majora officia praestitit, Syndicatum, uti vocant, Academiae gerens. Quemadmodum enim status tum ejus sic satis turbulentus fuit: Ità conjici facili momento potest, quanta hujus Viri in eandem merita exstiterint, utpote cui ejus pro salute ac commodis excubandum fuerat. Eum enim in finem Syndicum ea sibi habere peculiarem tunc temporis solebat. Ut autem brevis sim, plura non addo, solà Verborum ex cit. Cl. Dn. Praesidis mei *Commentatione* repetitione contentus. Ità autem ille: *Per universum hunc Ducatum in Statu tam Ecclesiastico, quam Politico Magni illius Viri maxima se merita diffundunt, qui curarum se ac laborum vicum semper exhibuit exemplar. Neque tot licet laborum oneribus onustus, defatigatum se, antequam extremam attingeret senectutem, conquestus unquam auditus fuit. Quin potius laborem labore pulsare & merita meritis cumulare ad extremam ferè aetatem usque perrexerit. Quod si etiam in filiis suis de publicare bene mereri Parentes possunt, dum ità educari eos curant, ut eximia illi praestare officia queant, sanè Henr. noster Schuckmannus de Academia nostra longè optimè meritus est, qui eidem duos ex se procreatos dedit Professores, alterum Theologum, Herm. Schuckmannum, cujus meritis immortalibus nomen immortale evasit, alterum Jctum, Conr. Schuckmannum, qui aliquot per annos Professore hic maximo cum applausu Vicarium egit, quemque utrumque suos ipse Parens salutavit Collegas. Quoniam verò de his agi nostrum non permittit institutum, prolixè etiam illorum Vitas descripsit in alleg. *Comment. Liter.* praelaudatus Dn. M. Epinus, recensitis simul eorum met scriptis, nihil nunc addo, quam B. Henr. Schuckmanni, Westphali, (de quo etiam nonnulla apud Witten. Diar. Biogr. Tom. I. ad Ann. 1656. leguntur) eo, quo in dicta *Comment.* extant ordine, scripta, quae sunt:*

1. Disp. inaug. Praef. D. R. B. *Echrio* de Sententia & re judicata. Heidelberg, 1614. 2. De

E

Exce



Exceptionibus. 3. De Mutui Contractu. 1637. 4. De Contributionibus. 1638. 5. De Emptione Venditione. 640. 6. De Testamentis. 641. 7. De Jure Clientela seu Protectionis. eod. 8. De Pacto Oblagii. 642. 9. De Mutuo. eod. 10. De Fructibus. eod. 11. De Dolo, Culpa & Casu fortuito. 643. 12. De Tutelis & Tutoribus. eod. 13. De Interesse. eod. 14. De Jurisdictione. eod. 15. De Successione ab intestato. eod. 16. Synopsis juris Feudalis. eod. 17. De Praescriptionibus temporalibus. eod. 18. Explicatio synoptica Remedii. L. 2. C. de rescindenda venditione. 644. 19. De vi publica & privata, item pace Imperii profana & Religionis. eod. 20. De Imperio Romano-Germanico. 645. 21. De Pacto Successorio. eod. 22. De Transmissione. eod. 23. De Actionibus. 648. 24. De Jure Emphyteutico. 649. 25. De Crimine laesae Majestatis div. & hum. eod. 26. De Operis novi Nuntiatione. eod. 27. De Transactionibus. 650. 28. De Continentia Causae. 652. 29. De Publicis judiciis. 653. 30. De triplici in Jure Consensu, Jussu, Autoritate & Rati habitatione. 654. 31. De Concursu Creditorum. 656. 32. De Actionum Concursu. eod.

His addendi sunt duo, Professione licet ordinariâ non defuncti, suâ tamen in Acad. Rost. meritorum laude non defraudandi. Unus est

### ELIAS PEROTTUS,

Lemgovia circa Annum, ut conjicio, Sec. XVI. sexagesimum in lucem publicam expositus. De quo verò, Programmata publ. destitutus, quod referre ulterius queam, non habeo, nisi quod J. V. Lic., Professor Juris Extraord. & *Ernesti Cothmanni*, de quo supra, Cancellarii Meckl. in Fac. jurid. substitutus, Dicalsterii item Megap. Advocatus & Procurator Ord. fuerit, filiumque reliquerit *Georg. Perottum*, itidem J. U. L. Rost. natum 1592. & ibidem 1642. denatum. Alter est

### THEODORUS VARENMEIERUS,

Osnabrugæ 1587. 9. Apr. Patre prognatus *Jac. Varenmeiero*, J. V. L. *Phil. Sigismundi*, Ducis Brunsv. & Lüneb. postulati item Osnabr. & Verdenf. Episcopi Consiliario, matre verò *Cath. Stordf.* Scholas emensus cum in Acad. Julia per biennium cum dimidio Juribus operatus esset, ad Rostochiensensem 1610. se contulit. Exacto in hac ipsa integro septennio, tantos in Jurium studio sibi comparaverat profectus, ut habitâ 1617. Praef. *D. Cothmanno* Disp. inaug. de Jure non scripto eodem Promotore Doctor salutatatus fuerit. Professoris extraordinarii munus sibi imponi passus est, ut vices *Laurentii Stephani* J. V. D. & P. P., Consilium in Aula



Anla Sereniss. Ducis Mecl. Jo. Alberti agentis, Lectionibus ordinariis publico in Auditorio habendis sustineret. Quo munere & magno cum Auditorum applausu constanter & assidue functus fertur, ut vel hoc ipso de Academia Rostoch. præclare meritis fuisse dicendus sit, ad Professionem Ord. fortè admoventus, nisi æt. 55. Anno 1642. 22. Jan. ex hac vita evocatus, hanc Academiam cum cœlesti permutasset. Plura desideranti satisfaciet B. D. Jo. Quistorpii Programma in funere ipsius publicatum, Anno 1642. Scripta autem num præter Disp. inaug. jam cit. ediderit compertum mihi non est. Atque hæc quidem hæcenus quoad Sect. II. de JCtis, quam exceptura ultimo loco est

## SECTIO III.

delineans

### MERITA PHILOSOPHORUM.

**E**Xhibet hæc ipsa sectio primo inter Philosophos loco, serie quidem Alphabeticâ

#### HENRICUM ARSENIUM,

Qui cœrtaneus fuit Magni illius *Arnoldi Burenii*, mox nominandi, eodemque tempore Professorio in hac Acad. munere functus, licet aliquo ante eum intervallo Professore egerit atque solus unusque Academiam hanc penitus collapsam restauraverit *Burenius*. De eo verò ità *Caselius in Epist. ad Jo. Reecium*, in Opusc. Westph. p. m. 176: Eodem tempore eodem loco (quo *Burenius*) vivebat *Henricus Arsenius*, - - illis fortè iniis, de quibus dixi, non par omnino, nec multò tamen inferior, in quodam superior haberi poterat. Sæpè autem mecum in hortis, quos colebat de maximis hujus sæculi contentionibus contulit, quas deplorare quilibet, emendare potest nemo. Græcarum præ reliquis literarum fuit peritissimus, in iisdemque studiosam juventutem instituens, excellenter de hac Academia meritus fuit. Unum idque singulare (verba sunt *Casellii l. c.*) de hoc viro referam & memorabile: quod invita ista otiosa nunquam vacabat à lectione Græcorum Veteris Ecclesiæ: hoc & ipse vidi, & restantur libri unus & alter, quos habeo ab hæredibus. Nec qui-

E 2

nam



nam illi sint, compertum mihi est, nec alia specialia referre nunc temporis de Viro isthoc possum. Progredior itaq; secundo loco ad

### JOHANNEM BOCERUM,

Prope Mindam in Westphalia natum circa annum 1510, (minus rectè enim Dania assignatur à *Königio in Bibl. p. 116. b.*) Magni adhuc *Chytræi* tempore hujus Academiae Professore, de cujus verò parentibus aliisque ad *Γιογχαΐαν* spectantibus quod referam, nihil succurrit. Poëtam Laureatum eum fuisse & J. U. Lic. ex Dedic. Sacr. Carm. constat. Sed Poëtam fuisse egregium magnique ingenii Virum, ipse *Dav. Chytræus in Epist. ad Henr. Meibomium*, quæ reperitur apud *Jo. Goes in Opusc. de Westph. p. 23. ff.* testatur. Habui, inquit, & in hac *Rostoch. Academia* Collegam & amicum, Johannem Bocerum, prope Mindam in Westph. natum: cujus ingenii felicitissimi ubertatem crebrò admiratus sum, dum post cenam sæpè ac Ennii exemplo benè potum, magnam optimorum versuum copiam fundere sine ullo labore & sine lituris viderem, cum mihi matutinis horis magnâ animi intentione lucubrantis & multa subinde delenti ac retexenti vix extundere aliquid in soluta Oratione liceat, iterum legi non indignum. Socrates verò Saxonicus, (ut appellatur *Johanni Goes I. c. p. m. 161.*) *Joh. Caselius* hæc de eo habet in *Epistola ad Jo. Reccium*, quam ibidem legere licet p. 167. ff. *Celur autem amicitiam cum Johanne Bocero, ad Varnum non minus quam ante ad Albim & ad Viadrum: quem ego non doctum solum, sed & integrum & rectè sentientem de educatione in literis cognoveram. Interpretabatur splendide Poëtas, idque ad Veterum rationem, quam solam esse veram judicabat, in nova inesse fœtilem ostentationem, nihil solida eruditionis sapè clamitans.* Quibus ex judiciis Virorum omni laude majorum merita Boceriana in *Academia Rostoch.* abundè percipi poterunt. Quod si vero plura quis desideraverit, evolvat ille *Scripta in Acad. Rostoch. publicè præposita, ab An. C. 1560. ad 1567. ed. Rost. 8. An. 1567.* in quibus magno numero Lectionum ejus intimationes inveniuntur, ex quibus de ejus bene de hac Academia merendi studio judicandum. Habentur & ibi fol. 358. 359. duo ei scripta Epitaphia, alterum abs *Jo. Posselio*, Græcum; alterum Latinum, ab *Henr. Mollero*. E scriptis ejus sequentia mihi innotuerunt:

1. De origine & rebus gestis Ducum Megapolensium Libb. III. Zipf. 8. An. 1556. carmine elegiaco.
2. Annotationes in *Dania Reges*, iidem Eleg. versibus, vid. *Li. penii*



*penis Biblioth. real. Philof.* p. 368. 904. *Fudicat de his Elegiis laudatus Caselius l. c.*  
*p. 175. qv od facili nec inculto sint carmine scriptæ. 3. Sacrorum Carminum & plas-*  
*tum Preationum Libb. IV. Rostock, 8. An. 1565. etiam Elegiaco genere.*

## ARNOLDUS BURENIUS,

Vir meritorum gloriâ in Academiâ Rostochiensẽ planẽ immortalis ejusdemqve alter qvasi parens & restaurator felicissimus. Quem si nihil aliud quam *ex omni bonarum artium congerie collectam perfectionem* appellavero, qv od de magno quodam populi Rom. Senatore vir aliquis disertus, teste in *Epist. ad Jacobum VI. M.B. Regem Casaubono*, pronunciavit, nil dixerõ, qvam qv od gloriæ Burenianæ ex æquo conveniat. Natus est in villa quadam *Bureno*, oppido in agro Angrivariorum Episcopo hodie Monast. subjecto, admodum propinqua, Patre *Thembardo*, agrorum cultore industrio, Cal. Febr. 1485. Cumqve parentes *Bureni* ad victum & amictum necessaria coẽmere in oppido jam dicto solerent, *Arnoldus* cognomen exinde sortitus suum est. Ingenio peracri memoriâque promptissimâ donato facillimũ erat in Scholis Swollenfi & Monasteriensi commilitones suos magno post se relinquere intervallo, præsertim donis sibi concessis summâ industriam adjuvanti. Ann. 1508. artium linguarumqve fundamentis felicissimẽ jactis, ad Acad. Witteb., à *Fried. Saxone* sexennio ante fundatam sese contulit. In qua ipsa per integros 15. annos continuẽ commoratus, consummatissimis studiis & virtute haud vulgari bonis omnibus adẽo se commendarat, ut non Megalandro solum *Luthero* postea charissimus esset, sed & domesticâ intimâque *Philippi Melanchtonis* consuetudine, magnis votis à pluribus desiderata, nullõ equidem labore frueretur. Quanti verò eum fecerit *Melanchton*, plurimæ ad eum datæ Epistolæ abundẽ testantur, quarum quasdam, nichartæ angustia me prohiberet, darem: itidemque dedicatio libelli Ethici Burenio inscripta. Is ipse *Melanchton*, optimus ingeniorum censor, Nostrium 1524. Duci *Megap. Henrico*, quo Filiu ephoro uteretur, commendavit. Quod susceptum munus Annum æt. 39. agens tantâ fidelitate subiit *Burenia*, ac tantum ad eruditionis fastigium Principem sibi concredutum deduxit, ut inter omnes ejus ætatis Germaniæ Principes doctrinæ & eloquentiæ laudẽ paucissimos ei conferre, antepo-

E 3

nere



nere possent neminem. Sexennio in Ducali Aula exacto, inde ab Anno 1518. desertam ac dissipatam prorsus horribili peste Academiam Rostoch. advertens Burenus, de illa restauranda cœpit cogitare, ut qui, quanto thesauro & ornamento Megapolitana Provincia spoliata esset, unus omnium quasi rectissime intelligeret. Hinc Duci suo pollicitus, semet Academiam hanc prorsus collapsam brevi pristino flori restitutum, Ann. 1532. ætatis suæ 47. eam ingredi iussus est. Cumque aliter non posset ob desertam planè Studiosisque vacuam Academiam, privatas primò Scholas instituit, donec mediocri paulatim Auditorum frequentia huc confluyente publicas quoque prælectiones posset exordiri. Eventus proposito præclare respondit. Sedulitate enim suâ, industriâ, fide & in docendo felicitate omnium oculos adèò in se convertit, ut nullus libentius, præsertim qui intelligentior esset, quam à Burenio vellet erudiri. Quò ipsò iudicium de eo *Melanchthonis*: *Ubi Arnoldus, ibi Schola*, verissimum fuisse deprehensum est. Atque tanta in Academiam nostram merita nullus ferè fuit Professorum ipsi succedentium, qui non summis elogiis deprædicaverit. *Joach. Schonermark*, J. V. D. & P. P. in Progr. *Anna Burenia, Arnoldi* Nostri filia, 1621. hæc in laudem ejus habet: *Fuit is Arnoldus Burenus Academia hujus quondam Professor, de ea ita meritus, ut ejus nomen merito gratâ mente & voce conservemus & prore nata sapius recolamus. Nam & collapsam hanc regiam Scholam ipse sua operâ restauravit, &c. Etrursus: Luxata tum nimium fuerat hujus Acad. Disciplina. - - Quare ii, quibus gubernatio morum fuerat commissa, de disciplina morum restituenda serio aliquid constituerunt: quorum non minima, sed præcipua tum pars fuit hic Burenus A. D. Thomas Lindemannus in Progr. quodam fun. 1623. Magnus Academia restaurator vocatur. D. Quistorpio I. in Progr. ad Exequias Petri Sassi, P. P. Rost. eundem 1642. publ. audit Restaurator hujus Acad., quam ille barbarie & Scholasticorum vitilicationibus immersam elegantie nitore & sanioris Philosophia præceptis cœpit illustrare. Joh. Caselii hoc de ipso est iudicium: Bona Academia Megapol. Rostochium venerat, & si quid ego illius temporis notitia habeo, & iudicio ipsius rei valeo, collapsam industriâ & præclarâ eruditione unus & primus cœpit erigere. Egere enim, relictis rebus magno studio, ut Auditores saperent & Virtutem colerent, & iis potissimum Magistris uterentur, qui ad informationem animi simul & lingua recte du-*

cerent.



cerent. In Epist. ad *Job. Reccium*, inserta *Opusculis variis de Westphalia à Jo. Goer*, p. m. 175. Testari & de meritis in Academiam Burenianis quotquot ex Schola Burenii egressi, summâ cum laude maximis officiis præfecti fuerant, potuerunt. Quade re audiri meretur hujus olim Acad. Professor celeberr. *Nathan Chytraeus* in *Orat. de Vita & obitu Arnoldi Burenii Rostochii Anno 1578*. hab. in *Opusculis de Westphal.* pag. m. 159. Multò, inquit, Burenio nostro honestas, multò ad bonæ fame & existimationis perpetuitatem gloriosius est, quod plerique omnes, qui nunc in finitimis regionibus & urbibus ad Ecclesiarum & Rerump. gubernacula, magna sua cum laude & aliorum utilitate sedent, ferè à Schola & disciplina Burenii prodierunt: quam si vel bellator strenuus multas cruentas ex hostibus viatorias reportasset. Similem in modum *Petrus Lindenbergius* in *Chron. Rost. Lib. V. c. XI. p. 173*. Qui (Burenus) ipse non paucos virtute, doctrinâ, eloquentiâ & pietate viros præstantes tam litoralibus quam ultramarinis hisce urbibus & regionibus instituit & discipline suæ contuberniis ad Ecclesia & Reip. gubernacula emisit. Neque brevi duntaxat tempore, sed ultra XXX. annos merita sua Burenus Academia huic præstitit. Anno enim post C. N. 1566. 16. Aug., cum biennio post Comitia Augustana Anni 1530. vel sola A. C. exhibitione memorabilis, meritorum fecisset initium, Etatis 81. placidissimè animam exhalavit. Præter Chytraeum in *Orat.* jam cit. conf. *Præcell. Dn. M. Mantzelii Gloria Acad. Rost. ex Professoribus longævis & præsertim Programma in funere ejus à M. And. Weslingo scriptum, Scriptis Academia Rostoch. supra cit. insertum, fol. 377*. Scripta magni hujus viri mihi innotuere sequentia:

I. Oratio de Disciplina Acad. Rostoch., in qua graviter rationes sui Consilii ipse publicè aperuit & Syeophantarum calumnias egregiè refutavit. Quam quidem Orationem tanti fecisse fertur Melancthon, ut eam non solum, cum ederetur, insigni admodum & Burenio honorifica præfatione cohonestaret, sed postea quoque, ut loco quasi illustriori collocata magis innotesceret, in quartum suarum Declamationum Tomum, ubi adhuc reperitur, retulerit. De ea verò ita judicat *Schoner-marckius* l. c. Cum alia præclara suorum in Acad. hanc beneficiorum monumenta, tum Orationem nobis reliquit (Burenus) verè auream non solum, sed etiam gemmeam, de disciplina Scholæ Rost. Sc. II. Oratio parentalis in funere Ducis Megap. Hanovici. Quam cum raucedine (ut testatur Chytraeus l. c.) tum impediretur, quo minus habere publicè posset, editam postea Principi Jo. Alberto exhibuit. III. Oratio, qua Episcopo Monast. Autor fuit, ut, si optimè de subditis suis mereri & verissimam sibi etiam à morte gloriam relinqueret velit, ante omnia Scholam benè constitutam in Angrivariis aperiri curaret. Qualis verò ea esse debeat, ipse Burenus tuncquam Artifex



Artifex ea in re præstantissimus ingeniosâ quâdam efformatione datâ exposuit. Max-  
 etavit in proœmio huic opusculo adjecto, ipsum illud encomio insigni *Melanchron*,  
 his inter alia usus verbis: *Laudanda est omnium voluntas, qui animos hominum ad*  
*hanc cogitationem curamque excitant & studii literarum accendunt. Fit autem hoc*  
*gravissimè & splendidissimè hac Oratione Arnoldi Burenii, viri honesti, docti & elo-*  
*quentis. &c.* IV. Oratio, quâ Principi Megap. *Udalrico* gratulatus fuit de ducta in  
 matrimonium Principe *Elisabetba*. Quæ Oratio ob præstantiam *Wittebergæ*, jussu  
*Melanchronis* (alias enim non facillè quicquam suorum edi *Burenii* permiserat, un-  
 de pauca admodum sublimis ingenii *Bureniani* monumenta supersunt) impressa est.  
 Plura num lucem viderint publicam hætenus me fugit.

## HERMANNUS BUSCHIUS,

Nobili familiâ natus est in arce ditionis *Monast. Sassenboreb* 1468.  
 Patre *Borchardo* Busche, qvî inter Majores suos septem eqvites  
 auratos, insignium loco lilium album gestantes, numeravit, ma-  
 tre verò *Barbara de Schedelich*. Puer in Schola *Warendorpiana* for-  
 matus, *Rod. Langio* traditus est; post *Alex. Hegio* commendatus,  
 condiscipulis gavisus est *Erasmus Roterod.*, *Jo. Marmelio* aliisque doctri-  
 nâ & scriptis postea celeberrimis Viris. Missus quoque fuit ad  
*Rudolph. Agricola* Heidelbergæ docentem est, cujus sub ductu  
 cum profecisset maximè, *Tubingam* se contulit *Italiamque* de-  
 in visitans, omnes ibidem ingenii sui, doctrinæ & promptitu-  
 dinis habuit admiratores. Ex *Italia* reduci gradus *Magisterii*  
 postquam Heidelbergæ collatus fuerat, per universam pri-  
 mò *Germaniam* post & *Galliam* peregrinationem instituit ac  
 ubique locorum cum eruditissimis viris familiaritatem con-  
 traxit, cujus rei nunquam ipsum poenituit. Jamque tanta  
 erat ejus eruditio, ut parem vix haberet, superiorem agnosceret  
 neminem. Poëta erat excellentissimus, qvî non unum alter-  
 rumve legerat Poëtarum, sed omnes fermè & veteres & recen-  
 tiores, atque ita quidem legerat, ut plurima ad unguem ex il-  
 lis recitare, imò qvo hæc illave folio haberentur, indicare po-  
 tuerit. Græcæ quoque linguæ & *Historiæ* erat peritissimus, nec  
 denuò his in studiis unos, sed, qvotqvot conquirere potuerat,  
 Authores nocturnâ diurnâque manu versarat. Ob consumma-  
 tissimam eruditionem *Theod. Ulpius*, maximæ, judice *Triebemio*,  
 eruditionis vir hoc de eo tulit judicium: *Buschius est phoenix unica Teu-*  
*tonibus*. Qvòd merita Buschii nostri attinet, miraculi instar in eo  
 notandum est, qvòd omnes penè *Germaniæ*, imò & exterorum  
 Academiâs quasdam plures insuper Scholâs illustres doctrinâ  
 suâ



sua adeò collustraverit, ut hac ipsa in re nemo ullus conferri vel comparari cum eo possit. Extant merita ejusdem in Gymnasia *Hammon.*, *Monast.*, *Osnabrugense*, *Bremenſe*, *Hamburgense*, *Lubecense*, *Wismariense*, *Magdeburgense*, *Brunsvicense*, *Hildesienſe*, *Mindenſe*, *Daventrienſe*, *Amſtelod.*, *Altemar.*, *Veſalienſe* aliaque, in Academiis item *Rostoebiensem*, *Gryphiswald.*, *Francos.*, *Erfurtens.*, *Lipsiens.*, *Witeb.*, *Colonienſem*, *Lovaniensem* ac denique *Marpurgensem*: ac tanta quidem extant, quanta ab homine uno proficisci possene cogitari quidem potuisset. Merita in alias Academiis Scholasque alii laudent, cum in præſenti ſola in Acad. Rost. Westphalorum merita delineare nostrum ſit propoſitum. Hanc ipsam verò Academiam Anno 1504. postquam Wismariæ docuerat, ingressus est, qvò de testatur *D. Dav. Chytraus in Orat. de Westph.* p. m. 17. *Herm. Buschii* (inquiens) *qui in hac etiam Rostoch. Schola 1504. docuit, multa scripta & poemata extant.* Tantâ verò dexteritate, tantâ suavitate, tanto oris eloquio, quæ omnia jam olim Itali in eo ad unum omnes admirati fuerant, bonas literas professus est, ut Studiosos numero pene innumero ad audiendum *Buschium* confluentes Auditorium licet magnum satis non caperet. Unde merita *Buschiana* in hanc Academiam colligi abundè possunt. Quæ & forte longiori temporis intervallo præſtita ab eo illi fuissent, nisi tanto ac incredibili ferè applausu Collegarum sibi odium invidiamque contraxisset. Advertens igitur illud *Buschius*, abire Rostochio in animum induxit, quippe quem non una, sed omnes Academiæ Professore expetebant enixissimè. Abitum ejusdem Auditores intolerabilem sibi existimantes, majorem in modum Præceptorem suum rogarunt, ut meritis merita adderet, atque, posthabito aliorum livore, professorium munus hac ipsa in Acad. retineret diutius, ne & ipsi eruditione verâ, qua eum solū fermè pollere judicabant, destituti relinquerentur. Exorari verò nolens Noster, id tamen meritis suis effecit, ut *Gryphiswaldiam* concedentem Studiosi tantum non omnes, hac in Acad. Præceptorem eundem venerati, comitati fuerint. Elogia, quibus innumeri eruditissimorum virorum *Buschiana* prosecuti sunt merita, prolixum foret, si recenseremus, ideoq; legendam *Herm. Hamelmanni de vita, studiis, itineribus, scriptis & laboribus Herm. Buschii narrationem*, quam tertio inter Opuscula de Westphalia loco collocavit *B. Jo. Goes, Westphalus*, p. m. 29. ff. unâ cum illis, quæ de Nostro habet *Melch. Adams in Vitæ Philof.* p. 36. f. commendantes, Scripta saltem ejusdem magni ab eruditis æstimata recensemus. Sunt verò sequentia:

F

1. Com-



1. Commentaria in Donatum, ex Prisciano, Diomede, Servio, Capro, Agratio, Phoca, Varrone, Aldo, Perotto, Nebriffensi, &c. Colon. - - Darentia: 1. Monast. 1. deinde Basil. per Thom. Platerum, 1540. 2. Decimationes Plautinae contra indoctos Sophistas, Colon. - - 3. Epistola primam Persii Satyram explicans, Paris, 1644. 8. & Colon. 1. - 4. Vallum Humanitatis, in quo gravi Oratione in eos invehitur, qui veterem Coloniae barbariem sapiant, Colon. - - 5. Annotationes in Silium Ital. Basil. - - 6. Comment. in 7. lib. Martialis, obscenis carminibus rejectis, Colon. - - 7. Hypancticon versibus heroicis Antistiti Spir, Georgio Palatino Rheni, super solenni suo in Spiram ingressu dicatum, Basil, 1520, 1529. 8. Epigrammatum libri 3, quorum duos priores excudi Darentia & Monast. 1498. curaverant Langius & Hegius, tertius verò Lips. prodiit, 1504. 9. Annot. in Juvenalem, 10. Comm. in Claudiani carmina de raptu Proserpinae, Colon. - - 11. Carmen lugubre de Obitu Jo. Murmelii Darent. - 12. Carmen de Urbe Colon. sub Tit. *Flora*, 13. Carmen descriptionem urbis Lips. continens, in quod Commentaria scripsit *Phil. Novesanus Hasfurinus*, quibus cum Lips. excusum est, 1521. 14. Carmen gratulatorium de Adventu *Erasmii Roterodami* Coloniae, Colon. - 15. Hecasticha ad *Fridericum* Traiectensem Episcopum, Darentiam ingredientem. Darent. - 16. Scholia in *Aeneida* Virgil. - 17. Selectiores Epistolae Cic. in usum Scholae Vefal. 18. Oestrum in Til. Heverlingium, Lips. 1506. 19. Carmina de morte *Wilhelmi* Comitis de nova aquila, ad filios, *Herman. Prapostum* & *Wilhelm.* Comitem in Morfa, Colon. 20. Gratulatoria carmina ad *Herm. Comitem* Neuvenarium & *Martin.* Oedkempensem, Colon. - 21. Ars memorativa, de qua fatetur *Hamelmannus* l.c. p. 66. ignorare se, an in publicum edita fuerit? 22. De singulari Autoritate V. ac N. Test. - 23. Sacrorum Ecclesiasticorum testimoniorum farrago, in duos libros divisa, Marp. 1529. 24. De triplici Plasterio Mariae ad *Jo. Rincum* carmen, Col. 1498. 25. Oratio ad Clerum Coloniensem, qua omnes Ecclesiasticos hortatur ad Ser. S. lectionem, Colon. - 26. De Catharina virgine ad *Herm. Gosbachium*, Colon. - 27. Spicilegium *LIII.* Illustrum Philosophorum, Authoritates vel sententias & Epigrammata quaedam in laudem D. Virginis complectens. Lips. 1502.

### BERNHARDUS GOSMANNUS.

Lippiam, urbem Comitatus Lippiensis primariam, hodiernum Potentiss. Borussiae Regis, Domini mei longe Clementiss. ferè subjectam Imperio, Monasteriensi, Coloniensi, Paderbornensi & Rebergenensi circumseptam territoriis, Gymnasioque haud incelebri, cujus & memet membrum perquadriennium ferè fuisse gratus recordor, conspicuam, Patriam suam agnoscit. In hac ipsa enim Anno 1622. pridie Festi Martino sacri natus est Patre quidem, cujus hodieque Lippienses merita non ingrati celebrant, M. *Bernh. Gosmanno*, Eccl. ad D. Mar. Min. Pastore, Matre verò *Eva Brede*, quam & ipsam D. *Steph. Clorzius*, quem supra Sect. Ln. II. laudavimus, matrem suam, adeoque D. *Gosmannum* nostrum fratrem uterinum agnovit. In ipsis pueritiae initiis doctissimus parens ingenium haud vulgare in filio hoc deprehendens, ex quo Orbis eundem delictum futurum haud im-

pruden-



prudenter conjecturavit, Scholas eum visitare voluit. In Gymnasio itaq; patrio, cujus ipse parens Inspector fuerat, fundamentis artium linguarumq; haud contemnendis imbutus, ad Susatense ablegatus est. Cumqve & in illo, quasi literarum quidam helluo, summâ cum Præceptorum admiratione qualibet audita & lecta firmissimè comprehendisset, 1641. ad Rost. Acad. se contulit. Haud verò scio, num Parentis magis, quem Westphalorum in Rost. Academia ad publicas Professiones evectio & gloria exinde ipsi Academiæ enata haud quaquam latuerat, an proprio consilio, merita Academiæ Rostoch. olim præstanda quodammodo prælagiens, incitatus, hanc ipsam Acad. elegerit. A primo verò in hanc urbem ingressu à Celebb. ac immortalium meritorum viris, *D. Jo. Quistorpio* I. & *D. Joach. Lütke-  
manno*, illo Theologo, hoc Philosopho, quibus commendatus de meliori nota fuerat, honorificè exceptus, ex ore eorund., adjungens ex reliquis Professoribus Patriotam suam, *D. Cothmannum* Theologum, sui amantissimum, constantissimè pependit. Cumq; per integrum ferè sexennium Auditorem horum Præceptorum industrium atq; ob singularem modestiam ac pietatem cuilibet charissimum egisset, adeo ut & probatam publicis speciminibus disputatoriis eruditionem ejus nemo tum ignoraret, à Collegio philos. Magisterii gradus oblatum Nostro est, quem, meritorum suorum in Academiam initium vix aliter fieri posse sciens, 1647. 13. Maj. conferri à Decano t. t. *Lütke-  
manno* sibi passus est. Gradu isthoc ornatus, tanto cum applausu Collegia philos. tam lectoria quam disputatoria habuit, ut &, priusquam Professione donaretur, de magnis ejus meritis Academia gratulari sibi potuerit. Quare Ampliss. Senatus Rostoch., dignissimum eundem reputans, cui Professio publ. offerretur, primò Phys. & Metaph. Professione, quam *Lütke-  
mannus* abitu ad Superintendituram Generalissimam Guelph. vacare fecerat, anno 1652. Nost. donavit, additâ & hâc promissione, si de philosophica Professione bene meritus esset, progressu temporis se Theologicam ultrò oblaturus. Ut itaque ad hanc ipsam rite subeundam se accingeret, Doctoris Theologi gradum à Fac. Th. Gryphisvald. petiit, quæ & eundem Examinibus consuetis, Disputatione inaug. lectione item cursoriâ maximo cum applausu exercitum Doctorali mitrâ 1655. coronavit. Quibus gestis de studiis philosophicis, quibus addiderat lectiones philologicas, præclarissime meritis, tanta sedulitate tantq; cum applausu Theologica professus est, ut inter maxima Acade-  
miæ



mia hujus lumina eundem referre suo quodam jure queamus. Ne  
 vero meis aliquid tribuere videar verbis, tanti Viri meritis descri-  
 bendis oppidò imparibus, audiatur ipse Acad. hujus Theologus lon-  
 ge maxime de ead. meritis, *Hennicus Müllerus*, qui in Progr. fun. *Mag-*  
*dalena Rungen*, 1664. publicato, *Nostrium*, inquit, *est matrona memoriam ha-*  
*bere sacram, ob Generi, Bernhadi Gosmanni, Theologi Doctoris præclarissimi &*  
*quondam in hac Acad. Professoris celeberrimi, nunc Silesiendensium Pastoris fi-*  
*delissimi, Viri incomparabilis, Luminis olim Academiæ, nunc Ecclesiæ Christi*  
*splendidissimi, Amici ac Fratris in Christo æternum mihi venerandi, insignia in*  
*Academiâ hancce merita, quorum si dememores finis unquam, Deum vix ha-*  
*bituri erimus propitium.* Nec prætermittendum videtur, quod hic no-  
 ster *Gosmannus* tum temporis in hac Academiâ Philosophus *u. s. l.*  
*1660* fuerit vocatus, uti Amicorum quidam ex relatione fide dignâ  
 ad Præcell. Dn. Præsidentem meum rescripsit. Ob tanta igitur merita à  
 Senatu Rost. Professione Theol. jam donandus erat, quam Dispp. &  
 lectionibus theoll. terque quaterque meruerat, sed vocatus ad Pasto-  
 ratum Nicol. Sundensem 1669. posteaque ad Superintendentiam e-  
 jusdem loci & Professionem Theol. post obitum D. Friedlibii, iti-  
 dem Westphali, Anno 1664. sustinendam, meritis in Acad. Rostoch.  
 finem iussus fuit imponere. Meum jam non est, merita Nostri in Ec-  
 clesiâ & illustre Gymn. Sund. latissime deprædicare, cum ad hoc  
 ipsum & ineptum me sentiam & ab instituto meo, quod merita sal-  
 tem in Acad. Rostoch. persequi jubet, alienum illud esse noverim.  
 Illud verò præterire non possum, quod ob donâ excellentissima (vel  
 ut phrasi utar, quâ usus est in literis ad me datis Pl. Rev. Dn. *M. Greg.*  
*Langemakius*, V. D. M. ad Ed. Nic. Sundens. vigilantiss., cui pleraq; hæc  
 debeo, *wegen seiner ungemeinen und sehr raren Gaben*) Dantiscum,  
 Hamburgum, Lubeca Pastorem expetierint, atque à Sereniss. Duce  
 Meckl. per Ministrum Ducalem non Academica solum, sed & Eccle-  
 siastica in Senatu sanctiore sustinenda functio, oblata ipsi fuerit,  
 quam verò ob imminens sibi obitum modeste declinavit. Eripuit  
 verò Deus illum ex hac mortalitate morbo diuturno afflictum,  
 quinque filias, paternarum Virtutum æmulas (quarum duæ priores  
 Viris supra laudem meam positis, jamq; beatis elocatae sunt, tertia  
 verò *Eleonora* nupsit Viro Prænobilissimo, Consultissimo & Amplis-  
 simo Dn. *Georgio Panfövio*, J. V. D. & Practico apud Sundenses celeberrimo.  
 Patrono meo maximo, quibus vitam longavam omnemque  
 benedictionem divinam animitus apprecor!) relinquentem, 1692.  
 An-



Annos natum 69, 6. menses & 3. hebdom. Scripta *Gesmanni* quod attinet, eadem, exceptis Concionibus variis à Prænobiliss. *Dn. D. Pansovio* Sundensium Advocato celeb. adhuc asservatis, incendio Sundensi periisse non sine dolore accepi. Quæ verò Professoris Rostoch. munere fungens publicavit, quoad partem à Pl. Rev. *Dn. Jo. Lünigio* mecum communicata, sunt sequentia:

1. Disp. de actu Diaphani, 1653. 2. De Motu projectorum, 1655. 3. De Viribus intellectus animæ separatae, 1656. 4. De Verbo mentis, 1653. 5. De Magno Propheta *Levis* ad *Deut. XLX.* 15. 18. 1657. 6. De Liplanolatia Pontificiorum Disp. inaug. *Præf. D. Abr. Barto*, Gryphisv. hab. 1655. 7. Disp. 1. in Epist. ad Hebræos, In quam Epist. commentationes publicè ventilaturus erat, quæ verò vocatione ad Pastoratam Sundensem interruptæ fuerunt, 8. Metaphysicam quoque edidisse fertur, cujus tamen deinde, quas nescio ob causas, expressa exemplaria omnia magno studio pretioque sat magno collecta sibi recuperavit. 9. Logicam quoque edidit conjunctâ sibi *Boddensi* operâ. Cujus hic est Tit. *M. Just. Bravden* *Commonesactio Logica, pro usu nativo Logica, tam analysin interpretativam & criticam, quam universam Synthesin per præcepta & usurpandi modum certissima & facilissima, exhibens: adornata studio ac labore Gerhardi Boddensi & Bernh. Gosmanni. Rost. 12. 1643.* 10. Collegia quam plurima à B. Viro hic loci habita & à se excepta, asservari, retulit per Epistolam nuper ad me datam prælaud. *Dn. Lünigius.*

### CONRADUS SCHLÜSSELBURGIUS.

Summus hicce Theologus Professore quoque Philosophum hac in Acad. agens, de eadem haud leviter meritus est. Mundum ingressus fuit Schaumburgi, Dom. Misericordias Domini 1543. Patre *Henrico Schlüsselburg*, Matre *Adelheida Reiteria*. In scholis patria, Paderbornensi, Hildesienfi, Halberstad. & Brunsvic. (ubi præcipue *D. Joab. Mörlin*um, Superint. & *Mart. Chemnitium* Præceptores veneratus est) cum fundamenta solidissima jecisset, Witteb. adire Acad. jussus, ibi 1568. Magisterii gradum petiit, sed in Crypto-Calvinianos inductus, non solum non obtinuit eum honorem, sed & cum revocare nollet ex Acad. in perpetuum exclusus est. Quod vero denegaverant Witteb., 7enenses, ad quos 1569. se receperat, 1502. ultrò obtulerunt. Cum postea Regiomonti per sexennium egisset, illinc quoque propter nimium in concionibus zelum discedere jussus, Rostochium venit, ubi tutiorem se fore arbitratus est ob summam Theologorum gravissimorum, cum primis *Dav. Chytrai* Orthodoxiam; quem etiam sibi deprehendit faventissimum, utpote à quo, de Orthodoxia ipsius obquam immeritò odio habitus pridem fuerat, certissimo, honorifice exceptus est. Is itaq; *Chytræus* & suator exstitit Nostro, ut cum Orator esset disertissimus, Rhetoricam Philippi Studiosam juventutem



tē doceret. Quo consilio usus Collegia exorsus est Oratoria & Professione insuper Eloquentiæ donatus in Colleg. *Uti ornis* dicto publice privatimq; tanto cum applausu docuit, ut vel hoc ipso de Acad. maxime mereretur. Postea cum Antorffii in Belgio per biennium, tum Gadeb., tum Wismar. per sexennium (circa quod tempus ex mandato *Augusti*, Elect. Sax. in Acad. Witteb. receptus & pristino honori restitutus est) Pastoris, Ratzeburgi quoque Superintendent. munere functus esset, 1564. à Senatu Sundensi ad Superintendent. iam ejus urbis vocatus est. quā (postquā civibus sumtus conferentibus, in Academia Jenensi Theologus Doctor creatus fuerat) in se susceptam ad usque vitæ finem, qui ipsi contigit 1619. 5. Oct. Æt. Ann. 77., dexterrime fidelissimeque gubernavit. Plura qui desiderat, adire poterit *M. Arnoldi Stappenbecii*, Eccl. Stralsund. ad D. Jac. Pastoris, *Concionem funebr. in Obitum Schlüsselburgi nostri habitā*, quā quoad perfonalia in latinum versa *Memoriis Theoll. renov. Dec. II. p. 141. f.* inseruit *Cl. Wittenius. Conf. & Freherus in Theatro & Cl. Dn. M. Mantzelli Gloria Acad. Rostoch. ex Proff. longævis*. Cum Philosophum egerit hac in Acad. Noster, philosophica verò scripta, quod sciam, non emisit in publicum, Theologica, quorum magnus est numerus, recensere h. l. superfedemus. Videri verò ea poterunt apud Wittenium l. c.

## MARTINUM TROSTIUM

Nascentem excepit Huxaria, oppidum in Abbatia Corbeiensi ad Vifurgim non incelebre, 11. Nov. 1588, (qui & ipse *Affelmanno*, ut supra dictum, natalis fuerat) ubi Patrem habuit *Johannem Trostium*, Scholæ primum ejus loci Rectorem, post Pastorem. Hujus sub auspiciis diligentissime cum literis imbutus esset egregiosque brevi tempore (erat enim ingenio acri ac discendi cupidissimo) in illis fecisset perfectus, ad Witteb. Academiam ablegatus, Theol. Studio sese dicavit. Quod ipsum verò non satis feliciter tractari existimans sine peritiâ illarum linguarum, quibus ipsa Dei Oracula concepta sunt, diligentissime easdem, manu ductione usus *Laur. Fabricii*, LL. OO. P. P. excoluit, nullus ambigens, se instructum linguarum cognitione de publicis Scholis sufficienter mereri posse. Quod ipse eventus docuit, haud longo enim post Corthenis Ebraicas literas docere cœpit tanto cum successu, ut non multum laudis solum hinc auferret, sed Principum quoque sibi conciliaret gratiam. Postea in Helmstad. & in Regia Acad. Soraviensi Professore egit publicum. Hinc vocatus



tus Rostochium, quod de meritis quoque ejusdem participare avebat, huc delatus munus suum tantâ cum solertia, quantâ aliis in Academiis illud sustinuerat, suscepit. Atque vel hinc colligere datum fuit, singulari eum ad hanc Academiam fato devenisse, ut meritis eandem suis collustraret. Eâ enim fide ac diligentia confluentes undique magnô numero Studiosos linguarum cognitione publice privatimque imbuunt, ut haud pauci admirarentur, quomodo aut tam feliciter proficere brevi tempore ii, qui se ipsius informationi tradidissent, (quod facillimâ ipsius methodo adscribendum, unde *μεθ' οὐδ' ἄλλος* à B. And. Sennerto appellatur *Tr. de Ebr. ling. & reliq. OO. Origin, antiquitate & progressu*, p. 6.) aut ipse Magister tot laboribus molestiisque par esset. Famâ ejus inflammata Academia Witteb., quæ discipulum olim Nostrum habuerat, Professore publ. exoptavit. In qua ipsa aliis inserviendô consumi maluit, quam exterarum Academiarum munera suscipiendo, huic ipsi subtrahere quod suo quodam jure exigere videbatur. Mortuus in ea est circa Dom. Palm. 1636., cum Ætatis annum 48. nondum complevisset. Prolixius Viri vita descripta est in Progr. fun. à Rect. t. t. Acad. Witteb., in quo sequens inter alia elogium comparet: *Qui* (Trostius) *maximo animo & indefesso studio Ebraam & reliquas Orientis linguas ita ab ipsa adolescentia tractavit usque, ut eam cognitionem doctrinamque sibi paraverit, quæ quam paucissimos æquales, vix quengquam autem superiorem habere videretur. Quo accedebat singulari solertia dexteritasque & quoddam quasi peculiare artificium docendi, quod tam multi & hic & alibi non modò celeriter sed & egregiè & cum admiratione multorum in eo genere sub eo profecerant. Ipsum Programmata à Wittenio Memoriis Philos. renov. Dec. III. p. 381. ff. illatum est. Scripta Trostiana, quæ mihi innotuerunt, sunt seqq.*

1. Concordantiæ Chaldaicæ ex Danielis & Esdræ capitibus, chaldaico idiomate conscriptis, collectæ. Witteb. 1617. 4.
2. N. T. Syriacum, ibid. 4. 1621. 1627. 3.
3. Versio & variæ lectiones ad N. T. Syr. Cothenis Anhaltinorum, 1621. 4.
4. Lexicon Syriacum Novi Test. latine ac germanicè explicatum, ibid. 4. 1623.
5. Grammatica Ebr. eademque universalis, recognita & locupletata, Witteb. 1632. 1637. 4.
6. Cum *Appendice And. Sennerti*, sub Tit. *Hypotyposis Harmonica linguarum Orientalium Chaldaicæ, Syracicæque cum matre Ebraa*, ibid. 1643. 1653. 4.
7. Epistola D. Fohannis Apostoli Syriacolat. Cothenis, 1632. 4.
8. Tabulæ in Gramm. Ebr. ibid. 4. 1637.
9. De Mutatione punctorum vocalium Disp. &c. Ultimo tandem loco produco

## HENRICUM WELPIUM

Patriâ Lingensem, Virum, judicio Nathanis Chytræi in Orat. de Arnoldi Burentis vita & obitu, apud Jo. Gess in Opusc. de Westph. p. m. 153. probum & eradium. In Acad. Witte.



Wittebergenſi ſtudiis operatus eſt ſub ductu inprimis *Phil. Melanchthonis*, tantog; in li-  
teris opere profecit, ut in eadem Academia Anno 1539, (quo annò & *Burenus* no-  
ſter honorem illum in hac Academiaſſumpſerat ætatis Annum agens 54.) Philoſo-  
phia Doctör creatus fuerit. Roſtochium poſtmodum ingreſſus, ob peritiã Mathes-  
maticam Profeſſor Mathematicum conſtitutus & à *Burenio* amiciffimè exceptus, conjun-  
ctiſſimè cum eo vixit. Qua de re teſtabitur *Chytrauſ*, c. *Non poſſum* (inquiens) quin  
probi illius viri, & ut ea tempora ferebant, Mathematici non ineruditi, *Henrici Wel-*  
*pſii*, *Lingenſis*, *Burenii* popularis faciã mentionem; qui paulò antequam uxorem  
duceret *Burenius*, ipſe quoque in Gymnaſio Witteb, bonarum artium Magiſter declara-  
tus, hac conceſſerat, cum quo ita familiariter & conjunctè vixit *Burenius*, ut ferè alter  
ab alterius latere nunquam diſcederet. Eum autem ſibi Collegam in domo *Aquila* conjun-  
xerat, *Arnoldus*; ut ætate ſua jam ingreſſeſcente, & prioribus laboribus ſuſtinendis im-  
pari, tamen adoleſcentes ſua diſciplina concediti non negligerentur. Et paulo poſt: Sed  
de *Welpio* dicere caperem, ejuſque artiſſimam & plane indiſſolubilem cum *Burenio* con-  
junctionem predicare. Cujus dum recorde, memini etiam fuiſſe tum temporis viros Ro-  
ſtinaſ & judicio inſignes, qui duos iſtos præſtantes viros inter vetera amicorum paria  
commemorare eorumque perpetuam & ſummam conjunctionem maximo huic Academia  
uſui & ornamento eſſe, aſſere non dubitarent. Obiit *Welpius* hicce Roſtoch, d. 13.  
Nov. 1566., cujuſ Epitaphium, ſcriptum à *Joh. Bocero*, legi poteſt in *Scriptis Acad. Ro-*  
*ſtoch*, ſupra cit. fol. 76. Scripſit ediditque *Arithmetica* impreſſam Colon. 1544.  
4. vid. *Lipenius* in *Bibl. reali philoſoph.* p. III. a.

Atque hi quidem ſunt B. L. quorum merita in Academiam Roſtochienſem delineare  
conſtitueram. Quibus addi alios quosdam, qui & ante Lutheri Reformationem & poſt  
eam hoc ipſo in loco claruerunt, potuiſſe non diſſiteor. Cum verò eorund, notiã  
ſufficientem acquirere nondum licuerit, eos recenſere impræſentiarum nolui. Animus  
etiã fuerat, tertie Seſſioni appendicis loco adjungere Magiſtros cives meos, qui non  
privatis Collegiis ſolum led & Diſſp. publ. haud leviter de hac Acad. meriti fuerunt, quor-  
um Catalogum jamjam collegi haud exiguum. Ne verò præſens Tractatio meſuram  
Diſputationis excederet, aliã D. V. occasione eos Orbi literato ſiſtere haud inconſultum  
putavi, nihil nunc addens, niſi illud: SOLI DEO GLORIA!

*Ad Nobiliſſimum & Praclariff. Dn. ROLLIIUM.*

**I**Terum prodis in arenam, Eruditiffime ROLLII, eademque operã & de patriã Tuã  
& de Academiaſſoſtrã benè mereris. Utrique Temet ipſum & quicquid in Te eſt  
debes. Patriã quod vivis, ſcholã noſtrã, quod rectè beneque vivis. Illi pietatem  
demonſtras, huic grate mentis officium. Illuſtravit vario lumine Roſtochium no-  
ſtrum WESTPHALIA Tua, quæ & ipſa variis illuſtrata luminibus à Roſtochio noſtro  
eſt. Tu verò utrique lumen ſimul adfers. Nam patriã collecto indefeſſa indiſtriã eru-  
ditionis ſpecimine gratum in eo animum teſtari, quòd natalis ſoli in progengerandis  
præclaris ingeniũs fecunditatem dilaudas. Roſtochium verò noſtrum Tibi non minus  
obſtringis, dum Doctörum ipſius, qui ex Weſtphalia Tuã oriſunt, memoriã con-  
ſervas & ad poſteros transmittis. Id cum facias eã eloquentiã, eoqve judicio, ut laudem  
nequaquam vulgarem promerearis, Patriãque Tua ampliſſimos à Te fructus polliceti  
ſibi poſſit, merito cum Tibi de patriã, tum patriã de Te gratulor, utque nomen Tuum  
id genus ſcriptis æternitati non minus, quam cives à Te laudati fecerunt, confecres, ex  
toto pectore opto. Scr. in muſæo, die 17. April. MDCCVII.

Jo. Fecht. D. P. P. Conſiſt. Duc. Adſeſſ. & Diſtr.

Roſtoch, Superintendens, Fac. Theol. Senior.




## Ad Nobilissimum Dn. Autorem.

**R**atiocinantes improbè in libr. Sap. c. 2. de brevi & molesta vita nostra, dicunt: *Lusu nati sumus, postea verò ita futuri sumus, quasi non fuissetus, in cinerem abiturum est corpus nostrum, quo tempore oblivioni eris nomen nostrum, & ne-  
ma recordabitur operum nostrorum.* Contrarium optimè ratiocinans, Clarissime Do-  
mine ROLLI, evincis in scripto tuo eruditissimo de Westphalorum jampie defuncto-  
rum in Academiam nostram meritis, quorum illustre nomen oblivioni certè non est,  
quamvis in cinerem jam diu abiit corpus eorum, animà in coelis vivente. Laudabile os  
minuò est propositum tuum, de quo Tibi ex toto pectore gratulor, DEum Optimum  
Maximum ardentissimis sollicitans precibus, ut coeptis & operibus tuis porro benedi-  
cere, Ecclesiae suae & Rei literariae commodum, ac Celeberrimum Westphalorum No-  
men per Te latissimè promovere velit. Ita vale & favere perge

Scrib. Rostochii  
d. 8. April, 1707.

T. addictiss.

Jo. Nic. QUISTORPIO, D.  
Th. P. P. Past. Nic. & Superint.



## Nob. & Clar. Dn. ROLLIO

Post variè demonstratam per publicas Disputationes singu-  
larem industriam novi laboris causa gratulabundus

S. Pr. Pl.

JOH. PETR. GRÜNENBERGIUS, D.

**Q**uid Tibi nunc versu scribam, Doctissime ROLLI,  
Quid scribam dignum sedulitate Tuæ?  
Talem Te nobis demonstras, qualis haberi  
Debet, qui summos gessit adire polos,  
Te modo Theiologum sistis, Dialectica nunc te  
Commendat, jam nunc Historis ora tenes,  
Publica Te loquitur per nostros fama penates,  
Teque per externos publica fama canit.



Hæc etenim quarta est Tua Dissertatio, ROLLI;

Sic das aut aliis, aut tibi scripta legi.

Præcipue nova Te commendat scriptio: Laudes

Majorum & Patriæ tradis ab ore pio.

Quantum quæso hodie Tibi *Westphala Patria* debet,

Cujus sublimes vis superesse viros?

Quantum *nostra simul* Tibi nunc *Academia* debet,

Cujus non paucos das revirere deos?

*Westphaliæ* tellus posuit tot sidera terris,

Quot stellas sistunt *Lactea* signa polo:

Quis bene doctorum chorus undique jubila tollit.

*Westphaliæ*que suo jure brabea tulit.

Hinc Tibi ferta legant, data quæcis est *Westphala Tellus*,

Te cano, *Westphaliæ* Lumina namque colo.

Et colo, qui memores Majorum fata recensent,


Quique Scholæ Nostræ Lumina Magna colunt.

Gratulatur Egregio studio, Doctissime ROLLI,

Et precor, ut subito prospera cuncta fluant.

Quæ Tibi sudoris concedant præmia docti,

Compensent oleum larga brabea. Vale!



Pererudito DN. ROLLIO,

Præsentis Dissertationis Autori Disertissimo, Amico suo  
atque Auditori Desideratissimo atque æstumatissimo,

Salutem ex vulneribus J. C. crucifixi uberrimam  
precatur

ALB. JOACH. von *Græf* vitz/ D. & P. P.

**D**um de meritissimis civibus tuis, nostræ Academiæ quondam Doctoribus & Professoribus, vitas factaque eorum elegantiori exponens stylo, benemereris, tanta tua sunt merita, ut ipse *Westphalis* Tuis Doctis hanc nostram illustrantibus *Academia* annumerari merearis. Audivimus te paucis abhinc diebus ex *Cathedra Theol.* strenue disserentem; jam recondita *Historiæ Literariæ* scrinia te quoque perreptare posse, presenti tuo doces specimine. Veniant Tui indolis plurimi ex *Westphalia Patria* tua bonarum mentium fecundissima, sic habebit certissime grata posteritas, in quo tui imitetur exemplum. Vale Amice Lectissime & fessinanti ignoscas quæso calamo, cum me inter quam plurimas occupationes hæc scribere amor jubeat. Dabam d. 20. April. Ao. 1797.

Nobi-



Nobilissimo atqve præclare Docto  
Dn, Respondenti & Autori  
haud personato,  
Fautori atque Amico meo Svavissimo  
S.

Quam in præfenti Doctorum subjeis oculis, magno, quæ ferrea Tua diligentia est, studio undiqve collectam & conscriptam Dissertationem, *ROLLI* æstimatissime! varia subitaram fata esse, me etiam tacente, ipsemet Tu præsentire facile ac divinare poteris. Nosti quam delicato in seculo hodie vivamus, quod, in re literariâ præsertim, nil nisi perfectum omni ex parte desiderat, nihil æstimat aliud. Et injurius omnino, tum in semetipsum, tum in Rem Eruditorum publicam esset, quisquis quod in viribus ejus erat, quo ad debitam perducere perfectionem suos poterat labores, temere neglexerit. Attamen, ubi, quæ eò facere poterant, denegata nobis sunt, non tamen à proposito alioquin laudabili idpropter penitus abstinendum esse reor. Nihil planè rerum est, quod primo quovis momento eam statim, quæ naturæ ejus convenit, assequitur perfectionem, quin singula quæque sua successu temporis augmenta capere videamus incrementaque. Nec aliter in ipsius Studiis nostris, quæcunque in illis moliamur, sese res habet. Non statim, cum manum operi admoveamus, perfici ipsum potest, quod tamen haud rarò deinde, novis accedentibus curis, ita elaboratur, ut addi vix quidquam possit. Ita & præfens Tua, Amice! se mihi habere videtur Dissertatio. Varia de eâ, prout quisque aliorum æstimare operas suevit, hominum erunt judicia. Accusabunt alii eam imperfectionis, aliis haud improbitur hoc tuum institutum. Fateor quidem & ipse, non pauca, sive ipsas, de quibus scripsisti, Virorum vitas, sive eorundem scripta respexeris, addi potuisse. Forte etiam aliis plures innotuere Academiæ nostræ olim Professores natione Westphali. Quæ & id genus alia aliquoties me monuisse, non ignoras. Quod tamen à proposito tuo, cui, quod lubens non dissideor, ipsemet adeo refragatus non sum, ut potius qualia qualia mea suppeditaverim consilia, non desisteris, id laudi Tibi omnino ducendum esse arbitror. Quod si verò quis vitio vertere Tibi velit, qui hac ipsâ in Academiâ vivens singula non plenius descripta dederis omnivæ omnium recensueris scripta, cum profecto rerum nostrarum penitus ignarum esse oportet. Non igitur est, cur aliorum de hacce Tuâ operâ judiciâ metuas: Sint, qui improbent, qui contemnunt, qui culpent; fore tamen etiam, qui probent, qui æstiment, qui laudent, sane certissimus sum, Macste proinde Tua virtute, Optime *ROLLI*. & de bono publico, quæ nunc temporis delineasti tantum, plenius pariter ac limatius elaborando, benè mereri perge. DEus, à quo omne, quicquid in nobis boni est, proficiscitur, conatibus Tuis clementissime benedicat, Tibique ex voto fata largiatur prosperissima. Ita Patria, Ecclesia, literæ de Te olim sibi gratulabuntur. Vale de cetero et rem Tuam felicissime age.

Tuus

Scr. Rostoch. d. 6. April,  
An. 1707.

ad quævis officia paratissimus

FR. ALB. ÆPINUS.




In höchst beglücktes Land das solche Bäume zeiget/  
 Von derer süßen Frucht fast ganz Europa speißt/  
 Und derer Wunder-Zweig' ein jeder Garten preißt;  
 Das ist ein Lob / dafür sich Momus selber beüget.  
 Ich irre nicht Mein Freund! sag ich / so ist zu schätzen/  
 Westphalen/das er nenn't sein liebes Vaterland/  
 Ihr Glück und grosser Ruhm ist aller Welt bekand.  
 Mein wehrtes Stralsundt kan noch täglich sich ergetzen/  
 Gedenkt es nur zurück an Ihre Gottes Männer;  
 Was vormahls Schlüsselburgs und Friedliebs Geist gelehrt/  
 Und Gosmanns Donner-Stimm / das bleibt da ewig wehrt.  
 Für allen aber liebt die reinen Schrift-Bekenner  
 Der Rosenstock / der sich mit Weisheits-Baum vermählet/  
 Hier hat Westphalen Ehr / hier hat Westphalen Ruhm/  
 Hier hat Westphalens Glück den Eiz und Eigenthum/  
 Wann es die Lehrer-Zahl bey zwey und zwanzig zehlet.  
 Diß wil Mein ROLLIUS in einer Schrift abmahlen/  
 Das Werk ist lobens werth / spricht hievon jedermann/  
 Doch wo das Werk von selbst den Meister loben kan/  
 Da pflegt man fremdbdes Lob mit schlechter Müng bezahlen/  
 So wil ich meine Pflicht mit diesen Wunsch ablegen:  
 Er schreibe so ferner und zeige den Fleiß/  
 Ihn wird auch Gott lohnen die Müß und den Schweiß  
 Mit Ehren / mit Lehren / mit Siegen / mit Seegen.

Hiemit wolte dem Herrn Autori, seinem liebevollsten Freunde zu diesem  
 gezeigten Specimine seines unermüdeten Fleisses/als welches schon  
 das vierdte ist / schuldigt gratuliren und eine höchstvergnügte  
 Belohnung anwünschen/

Deßsen ergebenster Diener

B. SCHWABE , Stralsundensis.

SS. Theol. Stud.
















mod de meritis quoque ejusdem participare munus suum tantâ cum solertia, quantâ sustinuerat, suscepit. Atque vel hinc it, singulari eum ad hanc Academiam meritis eandem suis collustraret. Eâ gentiâ confluentes undique magnô nunguarum cognitione publice privatimq; pauci admirarentur, quomodo aut tam evi tempore ii, qui se ipsius informationi acillimâ ipsius methodo adscribendum, unde *Sennerto* appellatur *Tr. de Ebr. ling. & reliq. OO. Ogressu*, p. 6.) aut ipse Magister tot laboribus. Famâ ejus inflammata Academia Witteb., Nostrum habuerat. Professore publ. expe-nserviando consumi maluit, quam exterarum ra suscipiendo, huic ipsi subtrahere quod suo videbatur. Mortuus in ea est circa Dom. Palm. num 48. nondum complevisset. Prolixius Viri Progr. fun. à Rect. t. t. Acad. Witteb., in quo gium comparet: *Qui* (Trostius) *maximo ani-ram & reliquas Orientis linguas ita ab ipsa adolescen- eam cognitionem doctrinamque sibi paraverit, qua s, vix quenguam autem superiorem habere videretur. solertia dexteritasque & quoddam quasi peculiare ar- n multi & hic & alibi non modò celeriter sed & egregiè torum in eo genere sub eo profecerunt. Ipsum Pro- temoriis Philos. renov. Dec. III. p. 381. ff. illatum i, quæ mihi innotuerunt, sunt seqq.*  
*daicæ ex Danielis & Esdræ capitibus, chaldaico idiomate*  
*teb. 1617. 4. 2. N. T. Syriacum, ibid. 4. 1621. 1627. 3. Versio*  
*T. Syr. Cothenis Anhaltinorum, 1621. 4. 4. Lexicon Sys*  
*ae germanicè explicatum, ibid. 4. 1623. 5. Grammatica Ebr-*  
*cognita & locupletata, Witteb. 1632. 1637. 4. Cum Ap-*  
*sub Tit. Hypotyposis Harmonica linguarum Orientalium*  
*e cum matre Ebræa, ibid. 1643. 1653. 4. 6. Epistola D. Fos-*  
*lat. Cothenis, 1632. 4. 7. Tabulæ in Gramm. Ebr. ibid. 4.*  
*punctorum vocalium Disp. & c. Ultimo tandem loco produco*  
**HENRICUM WELPIUM**  
*judicio Nathanis Chytrai in Orat. de Arnoldi Burenii vita*  
*Opusc. de Westph. p. m. 153. probum & eruditum. In Acad.*  
*Witte.*